Musarum Cantabrigiensium

THRENODIA
IN
OBITUM

Incomparabilis Herois ac Ducis
Illustrissimi

GEORGII

DUCIS ALBÆMARLÆ,

Regiarum Copiarum
ARCHISTRATEGI,

Regis, & Regnorum Magnæ Britanniæ
Felicissimi Restauratoris.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Joann. Hayes*, celeberrimæ Academiæ
Typographi. 1670.

THRENODIA

IN

OBITUM

GEORGII

TRINITY COLLEGE
LIBRARY
CAMBRIDGE

C

Ad Sereniſsimum Regem
CAROLUM II.

DA veniam, Cæſar, partem decerpere luctûs
Si *Grantana* audet conſcia Muſa tui:
Parce, precor, noſtro indulge &, Rex Magne, dolori;
Fas lacrymas lacrymis ſit ſociare Tuis.
Nempe Pater Patriæ voluit quem dicere Patrem,
Quidni hunc amissum Patria ploret Avum?
Præcipuè at mœrens Academia, ſciſſa capillos,
Patroni exequias poſtulat ire ſui.
Et meritò pompâ funebri, & in agmine primo
Lugentûm, *Mater* vendicat *Alma* locum:
Quæ nempe invicti Virtute & munere GEORGI
Et cum Rege redux, & rediviva fuit.

Jacobus Duport,
Acad. Procan.

In Obitum Illuſtriſsimi Ducis GEORGII *Ducis* ALBÆMARLÆ
EPICEDIUM.

AT quæ Melpomene tantam deflere ruinam
Sufficit? aut dignis plectra ciere modis?
Impar tam grandi eſt Elegëia noſtra Sepulcro;
Et ſtupet, & neſcit publica damna loqui.

Regi-

Regibus hic labor est, & solo Principe dignus,
Exequias tanti concelebrare Ducis.
Vestra, ô Sceptrigeri, toto quot vivitis orbe,
Res agitur; (tangunt talia Fata Deos)
Nos, animæ viles, temeramus carmine manes;
Funera plebeius non capit ista dolor.
Polluere hanc lacrymis scelus est vulgaribus Urnam;
Compescat luctus turba profana suos.
Vos, Vos Regali lacrymas huc fundite venâ,
Vester enim Vindex occidit, atque Pugil.
Hic Reges docuit sine cæde domare rebelles,
Securos solii jussit & esse sui.
Cedite Romani Ductores, *cedite Graii:*
Unum pro cunctis fama loquatur iter.
Quid mihi *Alexandros* tu *Gracia*, *Persia Cyros*,
Quídve Duces memoras, Martia *Roma*, tuos?
Cæsaris innumeros hæc una tropæa triumphos
Exsuperant, *solus* quæ statuit *Monachus*;
Cùm *Trinobantiacum* cupiens invisere *Paulum*,
A *Scoto Andrea* nobile cepit iter;
Et longum emensus brumali sidere campum,
Omne *bonum* nobis *ex Aquilone* tulit:
Cùm Democratici liventia colla *Draconis*
GEORGIUS Arctoo rupit ab orbe redux.
Debuit at *Monachus* sic restaurare *Monarcham*,
Et [a] *Plantâ genitus* sic reparare *Rosas*.
Ergò agite, ô Reges, Epicedia scribite Sceptris:
Quid stylus hîc? humilis quídve Camœna potest?

[a] *Fama est Illustrissimum Ducem Regiâ Plantagenetarum stirpe oriundum.*

Aliud.

QUin salve, æternúmque vale, *ter Maxime* GEORGI:
Jam satis est; quid agis, Pieri? siste gradum.

Quicquam

THRENODIA.

Quicquam te his titulis ſuperaddere poſſe canendo,
Aut æquare modis Nomina tanta putas?
Quid fruſtra ſacros obtundis carmine Manes?
Sollicitáſque rudi murmure buſta Ducis?
Incaſſùm triſtes elegos, epicedia, leſſus,
Spargimus in cineres, Magne *Gradive*, Tuos.
Te memorans, non metra, tonitrua fundere debet,
Nec niſi Pyrrhichio currere Muſa pede.
Quid ſiticen lugubre melos? quid tibia cantus?
Funereóſve parat præfica Muſa modos?
Stridentes quid enim calami? quid carmina poſſunt?
Cum fidibus tremulæ aut plectra minuta lyræ?
Buccina rauca, tubæ clangentes, tympana, ſiſtra,
Hæc ſunt exequiis muſica digna Tuis.
Arma horrenda ſonent, diſploſáque fulmina belli,
Quaſſentur frameæ, teláque miſſa ruant.
Tum feriant oculos paſſim volitantia ſigna,
Et labara: hîc *Mars* eſt *Anglus*; *Apollo* tace.
Tu tamen, *Angligenis* fauſtum & venerabile Nomen,
Sancte, precor, GEORGI, Dux Macarita, fave:
Obturbet tantos ſi nænia noſtra triumphos,
Et ſtrepat hæc veſtras inter avena tubas.
Nos chorus Aonidum magnis virtutibus impar,
Et tamen in lacrymas turba profuſa ſumus.
Mittimus inferias tumulo, & libamus honores,
Fundimus & ſacro carmen inane rogo.
Sed quia nos tanto ferimus nil funere dignum,
Supplebunt reliquum ſêcla futura decus.
Nam tua vel ſeri celebrabunt facta nepotes,
Hoc tibi Poſteritas Elogiúmque dabit;
Per Te, merſa diu, caput extulit *Anglia*, rurſus
Inſula præſidio facta *beata* Tuo:

Per

Per Te Rex iterum CAROLUS, veréque *Secundus*,
Prosperáque imperia & Sceptra *secunda* tulit.
Sic Tua venturi recinent miracula Vates;
Vix ut quis, quæ nos vidimus, acta putet.
Sic nostrum Heroa æternùm mirabitur orbis,
Et *Monachi* laudes fama loquetur anus,
Tótque Tibi in cippo Tituli, quot Nomina Regum;
Quótque Throni, tot erunt & Monumenta Tibi.
Ecce! parentatum est: Funebria, Maxime GEORGI,
Hæc tua sunt, hæc &, quà patet orbis, erunt.
At quicquid præsens, vel postera fecerit ætas,
Semper erunt meritis Justa minora tuis.

In Eundem,

Quòd maluit in CATHEDRA, *quàm in Lecto mori.*

NOluit in molli moriens requiescere lecto
Dux cubitum in castris sternere suetus humi.

Qui Regem erexit, Solióque locavit avito,
In Cathedra erectus debuit ille mori.

Dum sedet in *Cathedra* armorum Martísque *Professor*,
Temnere nos mortis tela cruenta *docet*.

Epitaphium Illustrissimi GEORGII *Ducis* ALBÆMARLÆ.

REgum Patronus, Sospitator Principum,
Jamjam labantis Restitutor seculi,

Columna

Columna Relligionis, & Monarchiæ,
Eccleſiæ ſimul Reíque publicæ
Redintegrator, Imperi Britannici
Ruentis *Atlas*, Orbis hujus deſtina,
Marcellus idem & Angliæ *Fabius* ſuæ,
Columen bonorum, Patriæ ſpes & ſalus,
Oligarchiæ clades, flagellum Schiſmatis,
Terror Rebellium, gregíſque perfidi
Fanaticorum malleus, Vindex doli,
Sceleríſque maſtix, ficta quod pietas tegit,
Sufflamen ingens impetûs Alaſtorum,
Inſanienti doctus helleborum dare
Plebi, & tremendum pellere è Regno Chaos,
Monſtrorum & Hydræ Domitor Anglus *Hercules*,
Popularis Hydræ, multiformis Belluæ,
Capitum reſector uſque pullulantium,
Paucis, Viator, ut complectar omnia,
Currûs Boôtes *Caroli* GEORGIUS,
Solis propinqui Prodromus, [a] Sudum enitens *Job. 37. 21.*
Aquilone, Regni Phoſphorus, reddens diem,
Stator Britannus, Magnus *Albamarlius*,
Pietas, Fidéſque, Candor, & Prudentia,
Et Fortitudo, pariter hoc tumulo jacent.

Aliud.

HEctoris hic tumulus, *cum quo* Nova *Troja ſepulta*,
Albion hoc *albo marmore* tecta jacet.
Nempe *atram* & luteam *priùs*, *Albamarlius* Heros
Albionémque albam marmoreámque dedit.

Jaco. Duport, Coll. Magdal.
Præfect. Dec. *Petriburg.*
Acad. Procan.

In Obitum Excellentissimi, nec non Numeris omnibus Absolutissimi Ducis, Ducis ALBÆMARLENSIS *Carmen Funebre.*

CUr, quia dignus eras, quem nos superesse precemur,
Fingimus immites in Tua fata Deos?
Nec quia dignus eras, qui Diis petereris ab ipsis,
Credimus indignos Te magis esse viros?
O nos indigni, qui Te deflemus ademptum!
Optamúsque Tibi non potuisse mori.
Felices Animæ quæ Te petiêre, dederunt
Hanc Tibi Dii mentem sic voluisse mori.
Nec mirum est, si Te totum non cernimus ævum;
Nullus in his potuit Juppiter esse locis.
Si non mortalis, certè Deus Ipse fuisses,
Non es mortalis, nunc eris ergo Deus.
Tu Divis permixtus abis; Pars optima Cœlos,
Æthereásque domos occupat illa Tui,
Non morbis, nec morti obnoxia; Pessima pars est,
Quæ manet, in mœstos nunc abitura rogos.
Et licèt Hectoreâ requiescat Corpus in Urnâ:
Hîc meliore tamen parte superstes eris.
Cúmque satis nullus decoret Tua funera fletus,
(Nec nimis esse potest, quod satis esse nequit)
O Came! O Thamesis! factæque in utrisque Camœnæ
Lugete, & mœstos ingeminate sonos;
Et quantùm liceat, verbis depingite Mortis
Sævitiam; Non est, sic doluisse, nimis.

Nec

Nec satis est optâsse mori, Dux Inclyte, Tecum:
Pro Te, pro patriâ, sed voluisse mori.

Jaco. Fletewood, S. T. P.
& *Coll. Regalis* Præpos.

P. M.

Glorioſiſsimi Ducis.

Ille est, *Hic Ille*, Fama quem tremit loqui,
Nè vera fando stigma Mendacis ferat.
Hic Ille, fortunæ haud magìs suæ faber,
Quàm Principis, Reíque nostræ publicæ,
Ecclesiæque, & Omnium quorum interest
Florere Pacem, Numen & summum coli:
Et Nestor idem Mentis ingenti penu,
Idémque Achilles gloriâ invictæ Manûs,
Virtutis unus Dux & *Albæmarliæ*.
Astræa nostris pulsa cùm terris caput
Conderet Olympo; cùm Nefas Britanniæ
Hiberniæque, more torrentis, plagas
Latè occuparet; solus hic tristi stetit
Heros arenâ, solus auxilium parat,
Ipse Imperator sibimet atque Exercitus.
Illum haud *Draconis tortuosi* fraudibus
Intexta rabies, prosperum aut fregit scelus:
Illi Hydra, Monstrum multiceps, atrox, ferum,
Ingratiis cessit; stupens se subditam

Idque ante pugnam. Sic serenato Angliæ
Cœlo, & paratâ CAROLO, ut decuit, viâ,
Patriæ reposuit pristinam Pacem, & Decus;
Omníque longè major invidiâ senex
Potuit salute publicâ Ipse perfrui.
Post tanta Gesta, nempe restabat Mori;
Fidémque facere, splendidum Authorem tamen
Hominem fuisse, nec oriundum cœlitús.

J. Beaumont, Coll. S. Petri
Præfectus.

ACcipias placidè, si deponantur ad urnam
Insoliti cineres, *Elisabetha*, tuam.
Non hæc effrænes intrudunt busta rebelles,
Præmia qui sceleris sancta sepulcra petunt.
Hunc augusta Ducem propter monumenta recondit,
Annumerátque atavis CAROLUS Ipse suis.
Debuit haud alio, vel summo judice regum,
Qui tria restituit regna, jacere loco.

Jo. Pearson, Coll. S.S. Trin. Mag.
& D. Margaritæ Professor.

In Religionem avitam, sub auspiciis optimi REGIS,
& ductu inclyti DUCIS *à Fanaticorum*
rabie vindicatam.

AT ô *Iambi!* queîs nimis pigri pedes,
Et gressus impar premere Magnatum vias,

Adeste

Adeſte vindice manu; ut inſequamini
Fanaticorum diſſipatas Copias,
Domitúmque vulgus, & capita fera *Belluæ.*
Noſtros Triumphos non poteſtis aſſequi,
Celeréſve curſu æquare Gloriæ rotas:
Sed ſpicula veneno, & *Lycambis* ſanguine
Tingere poteſtis, & in triumphatam *Hæreſin*
(Ut *Nemeſis* à tergo) poteſtis mittere.
Aperuit *Angelus* infimam *Stygii* lacûs *Apocal. c. 9.*
Abyſſum, & indè *Fumus* exiit niger,
Diem tenebris obruens; éque puteo
Ortæ *Locuſtæ* tectum operuerunt ſolum,
(*Locuſtæ* ab *Erebo*, malum *Erebo* ipſo tetrius:)
Quæ *Scorpii* caudas aculeatas habent:
His vulnerant, maló ſque malè mordent viros,
Et tabe dirâ, macrâ & invidiâ linunt.
Hinc fæda vitiorum lues, error vagus,
Terríſque naſcitur omne *Schiſmatum* genus.
Tandem nec *aris* parcitur, nedum *focis:*
Myſtas, & *Ædes* diripit *ſacras* ſimul,
Thecáſque, *Cœlitéſque* ſacrilega manus.
Opacat oculos hoc genus tabi, obruit
Mentémque nebulis, nè Bonum à Malo queat
Diſcretum habere: Hinc *proſperum & felix ſcelus*
Virtus vocatur, turbida & factio *Fides*,
Rapina *pia fraus*, invidia *zelus* cluit,
Proterviáque fit *conſcientiæ* nota.
Sed hanc Malorum non diu *Lernam* tulit
Dux Herculanus, agítque ferro vindice,
*Orcó*que tradit filiam hanc *Orci* trucem.
Protinus in *ignes*, unde ſunt ſatæ prius,
Eunt *Locuſtæ*, & ſuda linquunt omnia,

Omnia

Omnia ſerena, ubi *fumus* iſte evanuit.
Suos *Iernus* (Hoc Duce) eliquat lacus;
Scotus tenebras diſcutit; nec ampliùs
Caliginoſa noctis umbra territat
Anglos, ſuo furore ceritos diu,
Malóque ductos *Genio*. Apage larvas tuas,
Lemuréſque, *Cathare*: Nos eum ſequimur *Ducem*,
Cui ſucus odio eſt, vera ſed probitas placet:
Diſparet *Ignis fatuus*, exorto die.
Sic, ſic, *Draconem* contudit GEORGIUS,
Illíque cum genimine contrivit caput.

At ô cruenta Fata! qui vicit *Styga*,
Stygiáſque ranas nè coaxent obtudit,
A morte, filiâ *Stygis* victus jacet;
Non perditus tamen: Exit è buſto altior,
Phœnicis inſtar, plaudit & cineres ſuos.
FELIX: TRIUMPHATOR: PATER PATRIÆ: PIUS:
ECCLESIÆ VINDEX: AVERRUNCUS DEUS:
STATOR ANGLIÆ: FANATICORUM MALLEUS:
Qui regna CAROLO reddidit, CAROLUM ſuis,
Eccleſiæ pacem, Reíque Publicæ,
Fidelitatem Militibus, animam *Deo*.

T. Stephens, S. T. P. *Coll. Jeſ.*

In Heroa Illum *nunquam ſatis deflendum*, tertio *die* Januarii *expirantem*.

LIlia *Reginámque* cohors quæ nuper *ademptam*
Flevit, nunc mœrens *Arma Ducémque* canit.

Heu!

THRENODIA.

Heu! PAR QUALE recèns (ſexu licèt *impare*) flemus!
Illa Venus nuribus, Mars erat *Ille* viris.
Quis modus ærumnis? velut unda ſupervenit undam;
Jam citò *Granta* ſuos ad nova penſa rapit.
Juſta ſed HENRETTÆ dedimus ſuprema *ſepultæ*:
Eſt ALBÆMARLO jam tribuendus honor.
Indocti doctíque ferant nunc carmina, *Cæſar*
Cùm jubet, & *Patriæ* publica vota vocant;
Dúxque ſenex meruit: Nec plenior Ille diebus,
Quàm *Meritis*. *Talem* ſic cecidiſſe queror.
En! PATRIÆ PATER ipſe decus *Patris* indidit *Illi*:
Hinc *utrique Patrum* fama perennis erit.
Nunc bene *Majeſtas* & *Amor* miſcentur in *æquo*
CÆSARE, tam *fidum* collacrymante *Caput*;
Dîs charum populóque *Caput*. Mihi vota ſuperſunt,
Tales quàm-multos jactet ut AULA Viros.

Tertia nec JANI pòſt, nec *penultima*, multo
Sit ſine ſingultu prætereunda *Dies*:
(*Utraque Lux* velanda Anglis caligine nigrâ!)
Hæc REGEM nobis abſtulit, *iſta* DUCEM.

Guilielmus Fairebrother, in Jure
Civili D. & *Coll. Regal. Soc.*

In Ducem ALBÆMARLÆ, *ſtantem morientem.*

HOc ſitus eſt Pario ſub marmore GEORGIUS Anglus,
Lector, Crede, ſub hoc marmore nemo jacet;

Qui

Qui mare, qui terras, qui ignes ſuperaverat, hîc ſtat,
Non valet Herculeum flectere Parca caput.
Haud cadit, aut oritur Sol, at cecidiſſe videtur;
Nec cecidit, per quem Spes *Carolina* ſtetit.

Fa. Jackſon, M. D. *A. Cl. Soc.*

In Imperatoris Mortem verè Imperatoriam.

ARbiter Imperii cecidit, Fatíque miniſter,
Nam ſtetit à Mortis partibus ille diu.
Aſpexit lucem ſi quando famelicus enſis,
Quos petit ad tenebras protinùs ire jubet.
Cæde ſaginatum, ſpoliis auctum, atque triumphis
Hoſtem jam dignum Mors putat eſſe ſibi.
Invadit primò tacitè creſcentibus undis,
Venter adhuc vivo creverat in tumulum.
Nunc latet in victu, facilè ſub nomine amici
Intrat, quæ vitam, dant alimenta necem.
Carneus heu! vitæ fontem tumor obſtruit; Ipſe
Vivere ubi incepit, cœpit & indè mori.
Nec tamen ignavè occubuit, cùm ſtare nequiret,
Acriter in Cathedrâ dimicat, & moritur.
Ultima lucta probat validâ cum morte, minore
Hoſte Ducem Magnum non potuiſſe mori.

Hen. Paman. M. D.
Coll. Joh. Soc.

THRENODIA.

Ἐις τελευτὴν τοῦ περιφανεστάτου Ἥρωος ΓΕΩΡΓΙΟΥ
τοῦ ΑΛΒΕΜΑΡΛ

ΘΡΗΝΩΔΙΑ.

Θεὰ πανώλης Μοῖρα, παμμήστωρ βροτῶν,
Τί δῆτ' Ἀνάγκης δυσλύτοις ἴλλεις πέδαις
Δούλους τ' Ἄνακτάς θ' ὡς τύχεν; Τί βάσκανος
Τὰ μικρὰ θεῖσ' ἐν οὐδενὸς λόγου μέρει
Λαμπρῶν στοχάζῃ, καὶ σκοποῦ οὐκ ἀστοχεῖς
Λαμπροῦ ἱεῖσα μόρσιμον πτηνὸν βέλος;
Ἥρωος οὐ σεμνόν γ' ὑποπτήσσεις θράσος
Τὰς σὰς ἀπειλὰς ἀντίον δεδορκότος.
Ὄσσοισι δεινοῖς; ὀμμάτων ἔτλης φέρειν
Γοργωπὸν αἴγλην ἀξίων τυραννίδος;
Ἀρετῶν φάλαγγας μυρίων περιστάδον,
Χαρίτων τ' ἀολλεῖς οὐ στρατοὺς ὀῤῥωδέεις;
Ἀλλ' οὐδὲ θνήσκει· οὐκ ἔην θανεῖν ὅλως
Ἥρωα τόνδε· ἀλλά μιν πάλαι ποτὲ
Ταγὸν ποθοῦσαι δηθὰ, τὸν μέγαν Ταγὸν,
Ἀπόντα δηρὸν, πρὸς πόλον κεκλήκασιν
Ἱεραὶ φάλαγγες εὔπτεροι τῶν Ἀγγέλων,
Κυδρὸν γενέσθαι τῶν ἄνω στρατῶν Ταγὸν,
Ἐν πατρίῳ δὲ καὶ θριαμβεύειν πόλῳ.
Συμεὼν τὸ Χριστοῦ μὴν πάλαι γενέθλιον
Ἑώρακ' ἦμαρ, στεῦτο δὲ κραιπνῶς θανεῖν,
Κύσας τὸ θεῖον συχνάκις βρεφύλλιον.
Ἥρως ὁμοίως οὑτοσὶ τρισόλβιος,
Βίον παρέλκων μέχρις ἂν φθάνοι ἰδὼν
Χριστοῦ γενέθλης ἡμέραν παλίντροπον
Ἐνιαυσιαίαν, τὸν βίον χαίρειν ἐᾷ
Ζωοῖς μετεῖναι πλεῖον οὐ θέλων ἔτι.

Ἀλλ'

Ἀλλ', ὦ Μέγιστε, τῆς Βρεταννίας φόως,
Ἀστὴρ ἀνάκτων πρόδρομός γ' ἀπαρκτίας,
Μέγας κομήτης ἀγγέλων τῶν κρειττόνων
Φαεινός, οἷός ποτ' πόλιν παρέδραμες
Ἕλκων ἐπ' Ἀγγλους νύκτα κ' ζόφον βαθύν;
Δεῖξαι βροτοῖσιν, ἐκ τίνων μέρους θέλεις
Στίλβειν ὀλύμπου, ἢ Σίφυος φαιδρᾶς πέλας,
Ἦτοι ἀπ' Ἄρκτου, πὲ καί που ἀλλόθεν;
Οὐ μὰν δυνήσῃ δηρὸν ἐν πόλῳ λαθεῖν,
Εὑρεῖν γὰρ ἔσαι, Καρόλῳ φιλὸν κάρη
Παλαι σε ὄντα, καὶν πόλῳ, σέον τὸ πρίν,
Στίλβοντα κἀκεῖ Στέμματος λαμπρᾶ πέλας.
Δέξαι δὲ τούσδε τοὺς αὐτοσχεδὸν ὕμνους.
Ὡς τῶ Δανάνδρος ποῆς πάφον παγᾶ πρυλεῖς,
Ὅταν τύχωσιν ὁρκάμοι κλεεσμάτων,
Στείχυσ' ὁμαρτῆ κ' κόνει μάκεδον δόρυ
Πρῖνες χαράττει ποικίλων ἴχνη τρόων.
Ὡς ἄμμι, μυσῶν μὴ φαίλαγξ, Σοὶ ποῆς πάφον
Ὁπαδέοντες, ὅπλα τὰ γεραίτερα,
Μυσῶν ζα τύχη, χαρτὸν τόδ' ἐν πέδῳ
Πρῖνοδὸν ἑλκόμεσθα, κ' οὐκ ἄσημ' ὅπως,
Χαράγματι δὴ πένθιμον μέλος τόδε.
Ψυχῆ ἓν μικρὸν Σῇ ὑδρόσπονδον τόδε
(Καὶ πάσδε δέξαι τεὶς μάκαρ ψυχὴ χοάς)
Χύτλον φέροντες δακρύων ἀενάων
Σοὶ ἀεισόμεσθα τύμβον ἀρδοντες πόνον.

R. Creyghton, L. Gr. Pr. Coll. Trin.

Abstersit

THRENODIA.

Abſterſit nondum lacrymas Academia Mater,
Funere Regali queîs maduere genæ:
Altera quum triſtis nos urget cauſa dolendi,
Quæ cogit luctus ingeminare novos.
Palladio ſpoliata ſuo Reſpublica luget;
Patria, & imprimis Carolus Ipſe, dolet;
Illum, qui Patriæ Patrem, Regíque Senatum
Reddidit, heu! nobis abſtulit una dies.
Quando autem miſeros, Georgi, ſic deſeris Anglos,
Et Superi te nunc ad ſua regna vocant,
O nè unquam redeat, Duce te diſcuſſa, procella,
Perfida, quo vivo, turba quieta fuit.
Quondam ſæva Tibi parebant fata, jubenti
Quà libuit vitam, quà libuítve necem.
Hinc mors callida Te non æquo Marte petebat,
Sed fractum morbis improba adorta fuit.
Interea flemus: rident tres ecce Sorores,
Te, Dux, arte ſuâ dum periiſſe vident.

Fran. Bridgeman, Filius Domini
Orlandi Bridgeman, Cuſtodis,
magni Sigilli, *Coll. Magd.*

Finis eſt bello: redit ad Triumphum
Georgius, magnus Britonum Imperator;
Milites jactant ſua, dum Togati
Carmina condunt.
Ipſe Rex currum ſequitur reductus;
Georgius ſellâ ſedet in curuli;
Nempe jam primùm petit hos honores
Ultima paſſus.

Justus in vivis aberàt Triumphus,
Gloriæ totus CAROLI litabat,
Quódque captivos animos trahebat
Sat sibi duxit.
Oh! tui parcus nimis æstimator,
Facta cui rectè faciunt ruborem,
Nec nisi exanguis pateris triumphum
Fronte serenâ.
Exeras charum caput, O Beate;
Semper obscuras repetes latebras?
Quamdiu noto *Monachus* reducet
Ora Cucullo?
Anglus, exultas ubi tu, dolebit;
Gaudii Belgas socios habeto,
Seu magis Galli Saliæque gentis
Grata chorea est.
Ferre qui vivum nequeunt, triumphent;
Anglus, ut functum tulerit, veretur;
Quique Te nondum didicit carere,
Luget ademptum.

Carolus Wright, Trin. Coll. Soc. Proc. Sen.

PLures Joves fuisse, plures Hercules
Testantur antiqui monimenta seculi;
At quicquid omnes fecerant Heroïcum
In unius solet refundi gloriam:
Sic ante natales Tuos, Dux inclyte,
Olim ferunt fuisse Sanctum GEORGIUM;

At

THRENODIA.

At Te nepotes GEORGIUM credent eum,
Et Angliam, quam liberâsti, virginem.

Sam. Beck, Jun. Proc. *C. C. C. Soc.*

Disrupta *Hollandæ navalis* Cornua *Lunæ*
Non nisi sunt famæ buccina rauca Tuæ.
Te pia pugnantem velârunt nubila fumi,
Condere sic nubes numinis ora solet.
Dum Tua victrices cingebant Tempora Laurus,
A Bombardarum fulmine tutus eras.
Non auro, rutilas *Batavo* sed *sanguine* arenas
Æquora (quod majus nobiliúsque) ferunt.
Suecia Gustavi fileat miracula Adolphi;
Clarius en nostro sidus in orbe micat.
Mars Terris, Nestor monitis, Neptunus in undis,
His tribus auspiciis stant *tria Regna* Tuis.

Dux hydrope laborans.

ARtes inscriptæ Sethi periêre Columnæ,
Mersus Diluvii cùm fuit orbis aquis.
Sic Regni hic cecidit, Musarum & nobilis Atlas,
Dum tumidum hydropis corpus abundat aquis.
Ast Anima Ætheream, velut olim Turtur, ad Arcam
Tendit, námque *moram hîc non patiuntur aquæ.*
Turgentem hinc nostris hydropem mandat ocellis,
Fit Globus & lacrymis Insula uterque suis.
Hæc Tua sic Pietas *lustrali flumine* terras
Cæde cruentatas officiosa lavat.

Conspirant

Conſpirant ambo in noſtras Elementa ruinas,
Ignibus atque undis bis *nova Troja* perit.
Dum totam hoc facinus vitiavit crimine maſſam,
Nulla, niſi in lacrymis quæ fluit, *unda pia eſt.*
Continet hic, noſtris quicquid ſit nobile terris,
Dum ſic *Terra-aqueus* viſus & ipſe *Globus.*
Fluxus, refluxus, quaſi tot ſuſpiria ab imo
Corde Thetis fundit; palpitat uſque dolor.

Imperatoris ad inſtar, ſtans moritur.

NOn *jacet* Hic, nè morte quidem; nec cedere fatis
Dignatur: moriens *ſtat* monumenta ſibi.
Alta petit mens alta; ſed ambitione remotâ,
Ambivit *Summum* non niſi morte *locum.*

ARma virúmque cano, Scotiæ qui primus ab oris
Optato Angliacas ditavit lumine terras.
Sol Boreâ exoritur, lux è caligine; mutant,
Te mandante, ſuum Natura & tempora curſum.
Clarum ſanguineâ rediit ſic mane fugatâ
Nocte, ſequuturum dat *veſpera rubra* ſerenum.
Ille *Axis* regni meritò dicatur, ab Arcto
Dum, per utrumque polum, rectè tendebat in Auſtrum,
Hoc uno Angliacus dum cardine volvitur orbis.
Hoſtes Hic ſolâ vultûs, placidâque fugavit
Majeſtate manûs, Regem dum pectore condit.
Illi *à conſiliis* nemo, niſi Numina, *ſacris*,
Nec fas eſt *ſanctam* ſcrutari Pectoris *Arcam.*
Mercurius *cælúmque inter terrámque volabat*
Nubibus obſcuris latitans: ſic numina noſtros
Effugiunt oculos, magis & veneranda videntur

Quæ

THRENODIA.

Quæ magìs obſcurum referunt Myſteria ſenſum;
Plenior & *Nigra* eſt terrore & fulmine Nubes.
Sic venit, vicit: ſic ipſe Archangelus olim
Dæmona non armis, ſed *diſceptando*, ſubegit.

Ja. Lowde, A. M. *Aul. Clar. Soc.*
& Acad. Taxat. Sen.

GLoria quanta perit nobis? cantata Deorum
Præ qua ſordeſcunt nomina, Roma, tua.
Reddidit Æneam invictum Muſa Maronis,
Hujus at in laudes fabula nulla venit.
Pelidæ, nati & Laertâ legimus acta,
Sed majora Ducis vidimus acta manu.
Nec ſolùm, quos terra dedit, jactamus honores,
Tantæ virtutis teſtis & unda venit.
Vos, Belgæ, quoties fluctus vidêre trementes,
Et maturantes, Hoc veniente, fugam?
Magnum terra dedit, magnum dedit undáque Nomen;
Sed CAROLUS rediens, Te Duce, quale dedit?
Quas laudes, quos tunc meruit ſine cæde triumphos?
Dextræ magna, animi gloria major erat.
Conſilio quot tunc fregit, non Marte, cohortes?
Languentem hâc patriam reddidit arte ſibi.
Templa Deis hâc arte dedit, dedit otia ferro,
Hâc populo leges, hâc *Carolúmque* dedit.
Nobis & rebus noſtris dedit Ipſe ſalutem,
Heu! perit, infelix Anglia, veſtra ſalus.

Elias Bachiler, A. M. *Coll. Regal.*
Soc. Taxatorum alter.

Caſtalios

CAstalios latices sacri de vertice montis
Da mihi Phœbe, precor, celebrare ut carmine possim
Dignum laude virum, quo non insignior alter,
Toto nec famæ radiis illustrior orbe.
Pacis opus primùm mirer, belline labores?
Quid dicam placidos servato pondere mores?
Quæ pietas? Quæ prisca fides? prudentia quanta?
Quantus amor recti, jam tum spectatus & illo
Tempore, cùm sceleris tanta essent præmia, quanta
Penè vel incoctum generoso pectus honesto
Concuterent, Regnum, diademata, purpura, fasces;
Cùm CAROLUM in Patriam sine cæde & sanguine, Cœli
Depositum, armatus multâ cum pace reduxit.
Quid Decios mihi, Roma, tuos, Fabiique triumphos,
Scipiadásque duos narras, & fulmina Belli?
Huic similem gens nulla Ducem tulit, Anglia quondam
Bellatrix tanto nec se jactabit Alumno.
At tandem Fato cessit Vir magnus, honoris
Jam satur, & voti compos, jam Rege reverso,
Opportunè obiit felix, non indigus ævi,
Nec nimius, Pylii at dignus vel Nestoris annos
Vivere, vel potiùs vitæ transcendere metas.
O Dux, salve perpetuùm mihi, maxime MONCHI,
Perpetuúmque vale; nimiùm foret Anglia felix,
Tale decus sæpè, & similes si Heroas haberet.

C. C. Coll. Regal. Soc.

Exsurge

THRENODIA.

EXſurge Marmor, arcuati fornicis
Deterge ſtratum, ſaxeámque chlamydem
Celſiſſimi injice in humeros fortes Ducis.
Quid triſte Cæſarem hoſpitem Marmor ſitit?
Auguſtiorem victimam hic tegit Lapis.
Luctûs tributum cui tiara principum
Et ipſa ſolvit purpura. Orbis geſtiunt
Suis Monarchæ ſumptibus clariſſimam
Augere gloriam Rogi. Nullus premat
Tamen theatrum: CAROLI ſolus Dolor
Duci Inclyto quàm lugubrem Scenam ſtruit!
Sceptri potentis ſplendidas ſpargens opes
Faſtus adornat funeris; Reliquos ſinit
Spectare pompam, cujus ipſe eſt Regius
Faber. Sic Aurum (Magne CÆSAR) deplue,
Regaliter ſic minue gazas: Principis
Verè eſt, fidelibus revixit Artibus
Quorum corona, ſceptra ſumptu funera
Curare; Ad inſigne Meritum Herois ſtupet
Orbis: Loquatur Vulgus, Epitaphium
Sed Marmori Reges figant. ———

Edoardus Kemp, Coll. Regin. Socius.

Tumulus GEORGII *Ducis Albemarlæ.*

TOlle graves Lapides, lacrymoſáque Marmora tolle,
Non iſtis huic eſt accumulandus honor;
Uſque adeò anguſtum eſt quicquid compre'ndere poſſit;
Buſtáque diſſilient *Hoſpite* rupta ſuo.

Proh quantus! proprio tria dans Diademata Regi!
Quémque *Patrem* indigitat, qui Pater est Patriæ.
Quid mirum, toto si vix dum clauditur Orbe?
Uno non jaceat Gloria tanta loco.

Sub pedibus sita sit Caledonia: molle paretur
Pulvinar Capiti Terra Britanna tuo,
Et superimpositus tibi surgat Hibernia *Cippus*:
Singula se debent hæc Tria Regna tibi.
Atque Tholis affixa tuis, Quæque Insula circùm
Pendeat, ut dextræ justa Trophæa tuæ.
Illîc Res Scotiæ, & pugnata ex ordine bella,
Quà mare, quà tellus, *Arma Virúmque cane.*
Nec procul hinc (INVICTA licèt) *Sterlinga* notetur.
Fifa si quid dignum, *Forthâque* si quid habet:
Orchades atque Hebrides, Mundi procul ultima Thule
Hæc nostro Alcidæ sola *Columna* manet.
Conjuratorum stent *Confisteria* fratrum
Ipsa *suo* victas *Fudere* vincta manus:
Stabit & à tergo gemebunda & *naufraga Classis*
In lacrymis eheu! (quàm bene!) mersa suis.
Parte aliâ, Fluctu spumantia Cærula cano
Cernere erit, lato & fervere bella mari:
HUNC celsâ in puppi, (frustrà rugiente Leone
Battavico) tumidis ponere jura fretis:
Fractas undique Classes, disjectásque antennas:
Nereus in tremulis abdidit ora vadis.
Palluit ad rauci Thetis ipsa tonitrua Campi;
Sed, fugitive, *rubet* sanguine, Belga, tuo.

HUNC TUMULUM *vivens* posuit sibi *Manckius* ingens.
Claudito Marmoreas, signa adamante fores

THRENODIA.

O nunquam reſerandas! Nec, dum Regna manebunt,
Qui prope Te jaceat, MONCKIUS alter erit.

Guil. Quarles, Aul. Pembr. Soc.

Epitaphium Ducis ALBEMARLIENSIS.

SIſte viator,
&
Effare marmor.
Hîc jacet Angliæ Genius tutelaris,
GEORGIUS MONKIUS, Dux *Albemarlienſis*,
Eques Periſcelidis, & Britannici militis
Imperator, &c.
Nec magìs titulis, quàm meritis inſignis,
Virtute bellicâ clarus vel ab incunabulis,
Martis audiat Primogenitus.
Ut omittam apud Scotos quot præſtiterat egregia,
Quoties ſubdolum cautè ſatìs fefellerat hoſtem,
Nobis Angligenis erit Sanct. GEORGIUS ſecundus,
(Quis futurus tertius nondum conſtat)
Ni magìs dignus qui primus habeatur:
Utpote qui non Virginem ſolùm, Regiam licèt liberavit,
Nec unicum tantùm Draconem fortiter licèt jugulavit;
Verùm ter centum Dracones, Senatum nempe, totúmq; gregẽ
Proſtravit & peſſundedit. (Democraticũ
Quin & Regem, Regiámq; proſapiã, tripléxq; Diadema ſartum
Quaſi poſtliminio reduxit. (tectum conſervatum
Terror erat tum vivus, tum moriens delirantibus Fanaticis,
Et fruſtrà excandeſcente phrenetico perduellium zelo,

Et nihil obſtante formidabili Militum apparatu,
Et Regno Regem, Regi populum, populóq; pacem, verámq;
cunctando reſtituit. (libertatem
Nec minùs apud exteros, quàm apud indigenas
Inclaruit nomen, fama, & honos GEORGII;
Senſerunt Batavi (neque enim pudet referre)
Invictum & impavidum Ducis noſtri animum,
Cùm hoſtilis militis heu! quantâ copiâ
Oppreſſus penè videretur.
Nec Belgas reformidavit, nec Gallos, imò nec rabidam peſtem
Ære pluſquam triplici munitum GEORGII pectus,
Generoſo ſcilicet incoctum honeſto.
Quò verò magis graſſata eſt hæc lethalis peſtis,
Eò impenſiùs muneri vacavit militari
Dux vigilantiſſimus.
Annorum tandem, Virtutum, & honorum plenus,
Poſtquam Pacem procurâſſet ritè ſtabilitam,
Filiúmque unicum optimè vidiſſet maritatum,
Sponte jam ceſſit hoſti à ſe ſæpiùs profligato
Aliàs cedere neſcius.
Obiit 3° *Jan.* Anno Dom. $16\frac{49}{70}$.
Non molli recumbens lecto, ſed inſidens ſolio,
Ut vixit ſic obiit Imperator,
Intellectu vel in articulo mortis nihil vacillante.
Feſti extremum Natalitii in cœlis abſoluturus,
Cujus Adventum in terris Religiosè obſervârat.
Et ultimum jam ſpirans halitum
Regi CAROLO vota geſtis majora,
Populo Anglicano pacem & illibatam Religionem,
Et hæredi intemeratam ad extremũ uſq; erga Regẽ fidelitatẽ
D. D.
Interim nè metuas Viator feſtum hoc, quo obiit, ſolenne
Lacrymâ

THRENODIA.

Lacrymâ ſaltem unâ aut alterâ commaculare.
Ni parùm deceat manes Ducis in cœlis jam triumphantis
Vel lacrymulâ violare.
At abi viator,
Et cùm imitari nequeas,
Nè deſinas admirari.

Jo. Radcliffe, S.T.B. & Coll. Magd. Soc.

NUnquid in æternum? Quin longos mitte dolores,
Et juſtis Lacrymis ſit modus, Alma Parens.
Quid laceras vultus iterum? Quid pectora tundis?
Perpetuum funus ſola MARIA dabit?
Sic bene lugemus miſeros, ſic fata malorum:
Hocce parentari noluit illa modo.
Fallor, & agnoſco recidivo fortè dolori
Cauſam (quam metuo) poſſe ſubeſſe novam.
Quæ niſi ſummorum Regum Patriæque Parentum
Nulla dolere ſoles funera, Muſa doles.
CAROLUS uſque decus terris, manet uſq; propago
Regia, cura Dei, deliciæ populi.
Unus adhuc ſupereſt, niſi non ſupereſſe dolemus,
Cui planctus debet docta caterva ſuos.
Hoc video: Tu fida ſed infeliciter, Alma
Mater, namque hodie Regia buſta paras.
Occidit (heu!) Regni Stator! quis cætera fando
Explicet! has vires nulla poëſis habet.
Sentio depreſſæ mentis per pectora fuſum
Murmur, quod pietas vix cohibere valet.
Quid nos (ô ſuperi) in cœlum committere tantum?
Anglia quid potuit? Quid meruêre boni?

Uſque

Usque adeò omnigenos uno jam fulmine mulctat,
Perderet útque omnes Jupiter, unus abit.
Síccine sævitum est in Te, Brittannia, semper?
Et dabis æternos hostibus usque jocos?
Sed nec inexperti sanè sumus ante malorum:
Conquerimur primis jam graviora malis.
Cùm furor Anglorum mentes agitaret & arma,
Anglia & undabam sanguine tota meo:
Non ego causabar cœlos, non jura suprema;
Nil animi verbis impatientis erat.
Sensi olim intrepidè pestem Flammámque voracem;
Urbes hæc uffit, viscera & illa mea.
Perdere vel terras omnes quæ singula possint,
Hæc ego constanti pectore juncta tuli:
At non sola tulit: per Te, Dux inclyte, totum
Hoc potuit; per Te post mala tanta valet.
Certa sub auspiciis vestris sua fata repellit,
Consilio freta, & viribus usa tuis.
Anglum non flammæ terrent, non vulnera pestis
Te Duce, & in diro tempore victor erat.
Unius hæc potuit virtus, hæc GEORGIUS, ætas
Præsens quæ vidit, Postera vix capiet.
O si quam patriæ vitam tua facta dederunt
Æternam, hanc possent reddere fata tibi!
Per nova quæ faceres sentirent fortè nepotes,
Quæ sumus experti vera fuisse tua.
At ridet Cœlum miserorum hæc irrita vota,
Inque suum damnum non solet esse pium.
CAROLUS in cœlis nunc primùm vota suorum
Damnat, & immemores non sinit esse sui.
Anglia mitte meum, Regum Sanctissimus inquit,
CAROLUS, Alter Ego, sufficit Ille Tibi.

Nuper

THRENODIA.

Nuper ut aggreſſa eſt ſummi laquearia cœli,
Et petiit ſponſum Diva MARIA ſuum:
Oſcula dum ſacra, & pia dum conſortia miſcent,
En tibi virtutis præmia, Martyr ait.
Ergò quid in terris languet fortiſſimus Heros?
Munera num cœli negligit ille pia?
Negligat ille ſua, at quid gaudia noſtra moratur?
Vendicat & cœlum hunc, impatiénſque moræ eſt.
Jam ſatis armorum, Victor, ſatis atque laborum;
Quid miles toties militat emeritus?
Nec te ſollicitet belli, Brittannia, cura,
Extorſit virtus hoſtibus arma Ducis;
Quem reducem ſolio poſuit Dux, CAROLUS Alter
Firmatam pacem perpetuámque dabit.
Nil quod agas ſupereſt: quin cœlo redde triumphos;
Ut citò Te reddas, CAROLUS ipſe volo.
Dixit; & ille capit demiſſa per æthera verba,
Maturátque fugam promptus ad aſtra ſuam.
Primáque dum ſuperûm Dux noſter limina calcat,
Protinus occurrunt agmina ſancta Poli:
Primus erat Michael, cœlíque exercitus omnis
Adſtat, & intrantis claudit utrinque latus.
Cætera quis narrat, quæ tùm potuêre Superni,
Quæ meruit virtus juſtáque fama Ducis?

Hum. Gower, S. T. B. *Coll. Div. Joh. Socius.*

CIvis obit, cives inter clariſſimus omnes
Fuêre quotquot aut erunt;
Expendis ſi facta viri ſublimia, dotes
Aut inclytas ſi reſpicis.

Auſpice

Auspice quo tria regna gravi collapsa ruinâ,
Tetrúmque prolapsa in Chaos,
In decus emersêre suum robúrque, reducta
Pax est, & ordo redditus.
Cui reducem CAROLUM debemus, sceptráq; nostra
Repôsta justas in manus;
Cui leges nostras in prisca sede locatas,
Quas dira vis refixerat;
Sacráque cui, toties ausis temerata profanis,
Nunc aucta cultu debito.
Marte nec hæc crudo, vel fœdâ clade peregit,
Sed ensis umbrâ fulgidi,
Nominis aut famâ; quòd sese ostenderit hostem
Suffecit in victoriam.
Sed nec pace minor quàm bello floruit Heros,
Nec subditus cessit Duci;
Non magis imperii clavum tractare peritus,
Quàm promptus obsequi fuit:
Incubuit curâ semper vigilante fidelis
Custos salutis publicæ;
Non in reddendâ nobis quàm in pace tuendâ
Prudentior vel fortior.
Accessit, laudes quâ complet nulla, coronis
Illustrior, modestia:
Laude fuit melior, quam surdâ transiit aure
Quò pertineret nescius;
Sorte suâ major, quâ non elatus inanem
Descivit in superbiam;
Atque suo demum merito præclarior, illo
Premente nemini gravis.
Talis, Magne, jaces; monumentum insigne locatur
Tibi superstes Anglia.

Guil. Lynnet, S.T.B. *Coll. Trin. Soc.* DUX

THRENODIA.

DUX in Cathedra moriens.

SE Lecto fati certus Dux extulit ultrò;
Hinc divinandi vatibus ampla seges;
Protulit innumeras causas audacula turba;
Vera nec è cunctis forsitan ulla fuit.
Prodimus affines veris utcunque. Videri
Noluit ille, etiam cùm morereturiners.
Vel puduit morti toties incumbere visum,
Huic tandem veluti succubuisse, Ducem.
Aut excepit eam, se coràm sternere credens
Turpe, sui decoris pro ratione, sedens.
Nec voluit Parcam sic insultare; tremendus
Ille meis pedibus subditus ecce jacet!
Si sto cadam, dixit moriens, si cumbo jacebo,
Iste meam vitam mortis uterque situs
Dedecet: ut vixi moriar constanter & altè;
Hinc capio sellam; mors modò grata veni.
Ambivit vivum frustrà, quem jure rejecit,
Accipitur jure à demoriente, thronus.
Post tot quæsitas palmas, devictáque regna
Sella triumphalis contigit illa Duci.
In campo mallet Bellator quærere mortem;
Ast usquam campus nè foret, Ipse dedit:
Inque acie forsan stantem, & victricibus armis
Accinctum, impetere haud ausa fuisset Eum.

Epitaphium.

Hîc jacet (ut paucis discas, stupeásque viator)
Qualis nullus adhuc civis, AVUS PATRIÆ.

Guil. Corker, A. M. *Coll. Trin. Soc.*

Muſarum Cantabrigienſium

ET Fatis tandem ceſſit, qui ſpicula mortis
Excuſſit toties? toties qui vulnera tutò
Riſit, & armatus ſolâ virtute phalangas
Irruit in denſas, ſubverſis undique ſignis?
Evaſit qui tot caſus, diſcrimina tanta,
Spes ſanè miſeros lactabat vana Britannos
Non potuiſſe mori, & ſolitos finire triumphos.
O ego ſi poſſem ſupremum flectere numen!
Serior in cœlum rediiſſet, & Anglia Tanti
Herois nondum fleviſſet funera mœſta.
Quanquam quid lacrymas, planctus, ſparſóſq; capillos?
Cur vacuæ implentur querulis ululatibus auræ?
Deſinite ô ſocii, placidéque *obdormiat*, annos
Quem per tot longos, rexit dum ſpiritus artus,
Tam bene pro patriâ grati *vigilâſſe* fatemur.

At vos, O Superi, ſummo ſub Rege merentes,
Huc validas afferte manus, fulgentia & arma:
Defuncti ſupplete locum, & circumvolet oras
Angliacas ſemper niveis Victoria pennis:
CAROLUS ut regnet felix, quam MONCKIUS olim
Rettulit, æternùm & floreſcat Pacis oliva.

Joſhua Baſſet, A. M. *Coll. Conv. & Caii Socius.*

QUis canat *Alciden* poſthàc? quiſve *arma virúmque?*
Æneæ *nova Troja* tenet redolentia buſta,
Qualia quæ campo nunquam micuêre Latino.
Qui ſatus Anchisâ *vidua* poſt fata Sichæi
Suppetias tulerat, Regi *Hic* ſolióque locavit.

In

THRENODIA.

In Scotia *nebulæ circùm ſe fudit amictu,*
Ne quis ſcire dolos, mediúſve occurrere poſsit,
Incedit *taciti per amica ſilentia* ruris,
Invadítque urbem, *nebulæ* tunc fulmina mittunt.
Non ſecùs ac Phœbus dum luſtrat lampade terras,
E glebis exhaurit aquas, laticéſque profundo,
Cùm levibus radiis placidè lata æquora lambit,
Indè vapor multus, ſurgit circumfluus humor,
Sed *nubes* non viſa priùs quàm pendula cœlo.
Sic *mediâ regione* ſitus Dux emicat hoſtis,
Horrendi rutilans ut *cæli exercitus* inſtat;
Illico panduntur portæ, nam numine pulſat.
Nec Sibi nec Superis viſum hoc ſat, pergere tendit,
Et tandem *mediâ ponit vexilla Suburrâ.*
Mox pius Æneas geſtit ſervare Penates,
Quos pænè abſumptos dederant incendia belli,
Atque *Patrem Patriæ* ſcapulis geſtabat in urbem,
Dardanio major, *Trojæ* compeſcuit ignes.
Quis canat *Alciden?* Popularem *Hic* contudit *Hydram,*
Fronte ſuâ *Batavum* poterat terrere *Leonem,*
Non iracundo metuens dare verbera ponto,
Caſtigare fretum, fluctus dum *Tartara* nudant.
Augeum ſtabulum purgat, putrémque *Senatum,*
Labentíque orbi ſuccurrit *Regius Atlas.*
Non erat exuviis tectus, nec pelle leonis
Alcides noſter, nudus vel milite pauco,
Scotigenûm *Pictiſque viris* illuſerat hoſti.
Talis erat quem fata velint occumbere morti.
Jam titubat terræ fulcrum, sêcli cadit ingens
Lumen præſentis, nautis *Cynoſura* futuris.

Johan. Warly, A. M. *Aul. Clare. Soc.*

MOrs ſtruit inſidias, periit *Palinurus* hydrope,
Non *pelago*, at proprio mergitur Ille *Salo*.
Quid non ſæva ſibi vellent elementa *licere*,
Poſt domitum Oceanum, *ſi jugulatis aquæ?*

Idem.

In Cippum Illmi Ducis ALBEMARLENSIS *in Sacello Regis* Henrici *ſeptimi extruendum.*

SIſte pauliſper, Viator,
Quiſquis heic audacior Regum cineres premis,
Tua huc, ſi lubet, veſtigia flectas,
Et ſacras ALBEMARLENSIS reliquias veneraře.
Jacent hîc Tanti Viri exuviæ
Intra tot Regum viciniam;
Et illuſtrem GEORGII urnam,
Juxta avitos cineres
Sacris *Tudorianæ* gentis ſavillis
Pio CAROLUS officio miſcuit.
Tuum jam, *Eliſabetha*, latus propior contingit
Egregius Monarchiæ vindex,
Et ſupra claſſis Hiſpanicæ victoriam
De tua Britanniâ meritus.
Vos autem, ſacri Manes,
Siquæ hîc inter veſtra monimenta
Regales oberratis umbræ,
Cernite novum hunc & eximium veſtræ ſepulturæ hoſpitẽ:
En quantus Heros! quales attollit oculos!
At quicquid illi agilioris & divini

Iners

THRENODIA.

Iners nuper & aquoſum corpus ægrè trahebat,
In cœlum evolabat lymphis intacta anima.
Micantem etiamnum *Mariæ* tramitem
Et nuperi ſplendoris adhuc conſcium ſectatus,
Ad illuſtre *Caroli* Patris ſidus *Georgius* properabat.
Siquidem ſtellas immigrare defunctas hâc vitâ animas
Paulò beatiores haud vani credimus,
Ille demum *Stuartiano* vortici
Illuſtrior accedet ſtellula.
Illic æternis gyris *Carolinum* ſidus
Eximius aſſêcla comitatur.
Geſtit CAROLUS ſacras miſcere dextras,
Et viri paulò majores vultus intueri;
Geſtit totis hauſiſſe radiis
Filii ſimul & Paternæ cædis ultorem.
At Tu, GEORGI, ſic nec cœlum ipſum
Nec vicinæ auguſtiores umbræ uſquequaque arrideant,
Licèt in memoris CAROLI mente tutior ſuperſis,
Et dum intra ſacri pectoris penetrale requieſcis,
Non poteris auguſtiori tumulo reponi.

Hen. Goſtling, A. M. *Soc.* C. C. C.

TE, GEORGI, num Fata vocant? nimis invida terris
Juſſa Deûm noſtris! fuit ah! quis charior Anglis?
Quis meruit majora? Tuâ, Dux optime, dextrâ eſt
Reddita libertas nobis: Tu murmura turbæ
Sedabas querulæ; & *diviſos* Rege *Britannos*
(Quod ſolus poteras) *concordi pace ligabas.*
O patriæ præluſtre jubar! caput infer Olympo

Emeri-

Emeritum bello; nimiùm, te sospite, felix
Visa Deis, nimiúmque potens Brittannica tellus.
Plebs plorat, non sola tamen; suspiria miscet
Plebeiis trabeata cohors, suspiria miscet
CAROLUS, humectans lacrymis regalibus urnam.
Anglorum communis amor! tibi tota sepulctum est
Anglia, tota tibi tumulus; juvenésque senésque.
Te linguâ, te corde gerunt; te pectore versant.

R. Blyth, Aul. Pemb. Soc.

In Obitum Illustrissimi Ducis GEORGII MONKE *in Cathedra defuncti.*

QUæ non in mediis stantem pessundare turmis,
Sternere nec lecto Te valuêre tuo,
Ad Cathedram tremebunda tuam curvantur, & orant
Vulneribus veniam fata locúmque suis.
Quæ stando subigis, poteras vicisse sedendo;
Consulis hoc, validi militis illud habes.
At, quod nos latuit, serò, Dux magne, docemur
Te, quia nolebas vivere, posse mori.

T. Goodlad, A.M. *Sid. Coll. Soc.*

SOlvimur in gemitus, lacrymas, suspiria, luctus
Solvimur haud frustrà Angli, cùm lugubria justa
Reginæ Matris, Ducis aspera threna sequuntur.

Nempe

THRENODIA.

Nempe hoc amiſſo, ſe orbatum utroque parente
Agnoſcit CAROLUS, geminóq; accingitur oſtro;
Illa dedit CAROLUM vitalem in luminis auram,
Hic profugum, & varios ignota per æquora Regem
Pertæſum errores, antiqua in ſceptra renatum
Reddidit, & ſolio reducem firmavit avito.
Ergo ille in terris plenos emenſus honores,
Hinc cœlum petit, atque illic cedente Boote
Excipiet currûs Carolini lætus habenas.
Tu tamen, O Heros, Cuſtos fidiſſime Regni,
Perge tuos etiam in cœlo curare Britannos;
Perpetuâ Angliacas Arctoo è limite luce,
Et non caſuro reſpecta ſidere terras.

L. Topcliffe, L. B. *Gon. & Caii Coll.*

MUſa tot Auguſtis *Monachi* jam aſſueta triumphis
Credidit invictum non potuiſſe mori:
Nunc ſtupet, & queritur; *Monachi* quòd nomine digno
Nominis (heu!) Meritum perfida fata negent.
Scilicet ut quanquam Deus immortalis haberi
Solus erat dignus, tollere Morte velint.
Non te *Lambertus*, neque te Fanatica turba
Terruit, aut contrà tendere vi potuit.
Quin etiam veluti Boreâ crepitante vireſcit
Laurus, victor Ovans ex Aquilone venis.
Scotia te felix, felíxque Britannia cantat,
Téque patrem patriæ CAROLUS ipſe vocat.

R. Sanderſon, A. B. *Coll. D. J. Soc.*

Αἰάζω

Ἀιάζω τμηθέντ' ἐριθηλέα ὄζον Ἄρηος,
Καὶ ςαθερὸν θείης ἕρμα δικαιοσύνης.
Πρῶτον Ζεὺς χρύσειον ὅταν γένος ὤπασεν, ἦσαν
Ἥσυχοι, ἠδὲ καλῶ μῦνον ἔχοντο βροτοί,
Νόσφιν ἄτερ πολέμοιο· μόνον ςονόεντα τετάρτῳ
Ὑσμίνης κρατερῆς ἔργα μέμηλε γένει.
Ποῖον δ' (Ἀγλιακοῖς μέγα πῆμ') ὀλοφυρόμεθ' ἄνδρα;
Αὐτός τ' αἰχμητὴς, ἠδὲ δίκαιος ἔην.

QUalia funereæ sunt hæc solennia pompæ!
Quis tales unquam viderit exequias!
Undique tristitia est, cùm tota Britannia ploret,
Et salsæ multus defluat imber aquæ.
Damnum, si largo quis fletu perdat ocellos,
Quàm tenue est! Oculis charior Ille fuit.

FIngere si liceat nobis solamina, dictis
Parce, haud injustâ morte peremptus eras;
Sed meritò occumbis: Tibi præmia digna rependit,
Et Deus ad sedes evocat æthereas.
Quid faceret tellus; cùm Se tibi debeat Ipse,
Quem nos terrestrem novimus esse Deum?

Jacobus Manfeild, A. B. *Trin. Coll.*

RErum certa salus nostrarum & gloria, GEORGI,
Sospite quo, faciles vidimus esse Deos.
Sive Caledoniis, recolam, cùm salvus ab oris
Huc aderas, numen dum properaret iter.

Sive

THRENODIA.

Sive juvat *Batavi* memorare noviſſima Belli,
Cùm *toties uno victor ab hoſte* redis.
Indè, minor noſtras metuit fortuna querelas,
Credita dum curæ ſacra Corona tuæ.
Hinc, vacuâſſe ſuas videantur fata pharetras,
Omnia dum temnens, irrita tela facis.
Fatorum invidiam cùm ſic ſuperaveris, ultrò
Fortiter oſtendis, te quoque poſſe mori.

Johannes Jones, A. B. *Trin. Coll.*

Ὅσσοι ναιετάουσι Βρεταννίδος ἔνδοθι νήσου
Νῶϊ κόπωσιν ὁμῶς ϛήθεα μυρόμενοι.
ΜΟΓΚΟΣ, ὃς ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος ἠδ' ἐνὶ βουλῇ,
Θοῦρον ὃς ἀμφοτέρῃσι, καὶ δορὶ, καὶ σοφίῃ,
Πᾶσι μάλ' Ἀγλιαΐηϲι γόον καὶ πένθος ἄλαϲτον
Κάλλιπεν, ἠλύμπου γαῖαν ἀμειψάμενος.
Ὃν πολλαῖϲ δοράτων, ξιφέων θ' ἑκατοντάϲι πολλαῖϲ
Οὐ δύνατο βλάπτειν κυδιάνειρα μάχη,
Κοινὴ πᾶϲι βροτοῖϲιν ὅμως μιν ἀπώλεϲε μοῖρα,
Ἦν φυγέειν πως ἔτ' ἀλκίμῳ ἀνδρὶ θέμις.
Ἐϲ μαχάων δ' ἀνέβη νῶϊ δώματα· ἡ δ' ὀπίϲημος
Δόξα πάλαι θείων ἄγχι βέβηκε θρόνων.

J. Nailer, A. B. *Aul. Pemb.*

ROma ſalutares Divos per templa, per aras,
Soteras coluit Græcia vana ſuos:

Dux sacer at Moses, & clarus Josua Nuni,
Fortis & Othoniel; postea, magnus Ehud,
Hi salvatores populo celebrantur Hebræo,
Per quos Abramidûm gens sacra sospes erat.
Tantus Conservator erat Dux inclytus: atque
Nuniden, Jesu qui typus ipse, refert:
Qui populo longo errore atque tyrannide presso
Finibus Ægypti, cæco Arabúmque solo;
Virtus tanta suæ & Divina potentia dextræ,
Numen Is Isacidis auxiliare vehit,
Et fert ad terram promissam, pinguia frugum,
Immanes botros, dulcia mella, sata:
Vincit Idumæos mirâ virtute tyrannos,
Inque Amalec natos Numine plenus ovat.
Non aliter MONCUS; per quem Deus omnia vellet
Salva, instaurata; Hic Josua noster erat:
Exosúmque Deo pecus, effera turba rebellis
Sortem Amalec digno Hoc vindice, fata luit.

Nunidi nomen mutatum: id Numine factum.
Salvator Domini Josua; MONCUS idem.
MONCUS eras, aliud sed postea Nomen honoris
Illustris Dux à Rege mereris; habes.

Ad ripas, Jordane, tuas (sacrata fluenta
Jesu Baptismo) Josua prima capit
Auspicia officii: CAROLUS dúmque appulit oris
Primus honestat Eum; Quo auspice atque duce
Jus regni repetit: Quem juxta Numen amavit
Et semper coluit, jam colet inque dies.
Divino eloquio, imperio inprimísque stupendo
Et Soli & Lunæ Josua sistit iter;

Claudi-

THRENODIA.

Claudicat ipſe dies coram Victore; Morantur
Gibeonitæis Lumina vincta modis:
Sed CAROLO Sole exorto tot lumina ſecum
Clara tulit, poterit longior eſſe dies?
Poſt longam noctem tamen, O Dux Phoſphore, tandem
Feciſti haud Solem ſtare, redire facis:
Nec verbo hoc factum, at per fida ſilentia: noſter
Sidereus fueras Nuncius, è Scotiâ.

Quanquam *Londini* metuebant mœnia, fato
Nè Jericontino, (quâ data porta) tubis
Ignotis ruerent: ſervavit mœnia & urbem;
Civica debetur multa Corona Duci.
Id cives nôrunt: ingens extremáque cura
His de, Paulinis ædibus atque ſacris.

Denique adorandi Soteris, Joſua, Jeſu,
Ipſe typus multo nomine certus erat;
Quem, noſtro laus magna Duci cluit, eſſe ſequutum:
Nunc typus is Chriſti, quíque imitator, erit:
Æmulus æterni ſic Servatoris Iëſu
Cœleſtem Canaan Joſua noſter init;
Quâ Gideon, Sampſónque Duces, ævíque virilis
Robora, jam claudunt cum Duce forte latus.
At Chriſti ad γένεσιν ſacri Ducis ἔξοδος; eheu
Sic Natalitium naſcitur in lacrymis;
Ad Jeſu Natale diem finivit: ut Orbis
Taxatur lacrymis Te moriente novis!

Timo. Puller, S. T. B. *Coll. Jeſu Soc.*

UT novus annus adest tristi auspice, Te Duce dempto!
Qui dare, Jane, soles pignora, Túne rapis?
It cælo sed *strena*, puto; & cœlestia regna
Dux nunc Legatus, gratus & hospes adit.
Dona ineunte anno Proceres dant aurea Regi
Cum bursa: Noster Dux sua solvit, obit:
Argenteósque scyphos dat Rex ex more vicissim,
Jam plenos lacrymis (Pocula sacra!) suis.
Nec stipe jam frueris, Cæsar, pro more viritim,
Ni populi lacrymis, Jano ineunte, suis;
O bifrons! simul & luctus & gaudia præbes:
Exis tristis, ità & mœstus inire velis?
Grandia sic junctus tessellat gaudia planctus,
Iris ut auratâ nube remittit aquas:
Fœnora tristitiæ fœcundo condere fisco
In mediis festis cogitur Aula suis.
Flevimus hoc festum juxta Par nobile Fratrum
Carolidas; memini, *Phœbus* uterque suis
Defecit maculis; Horum modò luximus almam
Reginam *Matrem*, Jamque *Patrem Patriæ*:
Namque *Patrem* Rex Ipse suum quem dicere vellet,
Plusquam *Patronum* Patria jure vocat.

Idem

TE non una domus, non gens Te defleat una,
Integra Regna pio funere justa dabunt:
Albion atratâ pallentem condere vultum
Veste studet, lacrymis Insula facta suis;
Grandes Mavortis Proceres nunc fortia tundunt
Pectora, Mortalis quos nova Cura premit:

Unani-

Unanimes feriunt gladiíſque micantibus æthram,
Quæ nunc atrato pulvere nigra dolet.
Martia quàm leſſu lugubri præfica plangit?
Non exauditæ triſtiùs uſque tubæ:
Hæc ſunt ſola tui Martis ſuſpiria, planctus;
Non alia ingentis ſigna doloris habent;
Qui ſolùm ut ſilices lacrymas effundere poſſunt,
Per liquidos ignes ergò dolere ſolent.
Thura placent Superis, per dîa palatia cœli
Cœleſtes acies, Angelicæque tubæ
Ferre, referre ſonos properántque augere triumphum,
Jámque ſui adventum concelebrare Ducis:
Si voti compos Dux eſſet, in agmine denſo
Clauſiſsétque diem Marte calente ſuum:
O quot mulctâſſet letho vis ultima dextræ?
Hunc impune putes tum potuiſſe mori?
Poſt miros vitæ caſus, immenſa trophæa,
Quum jam per gladium pace potitus erat,
In *cathedra* meruit ſedem quâ Fata quieſcant,
Sic toties Victor debuit ille mori!
Qui mortem toties in campo Martis aperto
Vidit, Is in lecto noluit occidere;
Nollet in extremis animam ſimulare jacentem,
Illa eſſet nimiùm mollis ad aſtra via:
In cathedra à qua olim fudiſſe Oracula belli
Notus erat, Marti ponere jura potens,
Augurium Cœlo indè capit, meritámque coronam:
Quâ cœlo vehitur, ſella, curulis erat:
In cathedra, fit ſtella cadens quaſi *Caſsiopeiâ*:
At *Plauſtra* excipiunt dum *Carolina* Ducem,
Rheda triumphalis nè in cœlo defuit ipſo,
Reddat ut hunc Superis, congenitíſque Deis.

T. Puller, S.T.B. *C. Jeſu S.* *Carmen*

Musarum Cantabrigiensium

Carmen Triumphale.

GRæca *chelys* quondam septenis insita nervis
Pellæi juvenis miracula plurima lusit:
Tibia sic Romæ didicit resonare Trophæa
Cæsaris invicti: durum celebravit *Ulyssem*
Ingens *Mæonides* quoque Carmine duraturo:
Immensúsque suos Heroas *Pindarus*, omnes
Reddidit Indigetes: nulli *pietate* secundum
Æneam miris numerorum ambagibus olim
Fatidicæ *Mantûs* Vates celeberrimus effert.
Quis tua Gesta canet, Britonum *Dux Magne*, Decúsque
O & Præsidium! Quis tanta GEORGICA scribet?
Haud par unus erit, parva est ter trina *Sororum*
Juncta cohors; sed nec sat erunt tua dicere facta
Vel centum *Musæ*. — Quisquis de gente *togata*
Clamet *ad Arma*, vibret calamum; properent *Veterani*
E castris, multâ *juvenum* stipante catervâ,
Quisque *cothurnati* carmen tentare *Maronis*.
Magnum magna decent, & non nisi *Copia* Vatum
Induperatoris Tanti *Vexilla* sequuntur.
Consilio mirè pollens fuit, impiger armis,
Imperio gravis, impavidus, patiénsque laboris,
Militibus charus, taciturnus, & hostibus ipsis
Dilectus Terror, tremuit *Leo Belgicus* Illum,
Non *Gallum*, Illius cantus fulmen tonitrúque.
Ille jugum imposuit *Scotiæ*, sempérque rebellem
In *Reges* sanctos, docuit parere popellum
Ipsi *Subjecto*; patrios revocatus in agros
Prædonum varias *nutu* compescuit iras,
(Qui debacchantes *Carolini* sanguinis hausto

Sacrilego,

Sacrilego, jam de Imperio dare mutua bella.)
Venit enim, *vidit* tantùm, & ſine vulnere *vicit*.
Conſcia gens fugit armorum ſtrepitu tremebunda,
Victori inſolito *campúmque urbémque* relinquens.
Et jam cui præter *Regnum* nil defuit antè,
Hunc unum penès Imperium. -- At quìd dicitur olim
Nulla fides pietáſque viris quì caſtra ſequuntur?
Præfuit (en!) CAROLI *caſtris fidiſſimus* Heros,
Qui nec *regnandi* causâ ſibi *Jus violandum*
Cenſens, dignus erat *Carolo* ſubmittere *faſces*
Imperii, *Solium* Patris, & *Diadema* redemptum.
Diſcite vos Gentes; noſtri *admiranda* Poëtæ
Sed *credenda* canunt. -- ſtupeat vicinior orbis!
Hæc CAROLI *Servus* jactat miracula rerum:
Quid *Dominus faciet?* ---

F. Standiſh, S. T. B. *C. S. P. S.*

VIr bonus & juſtus, veri moderator, & æqui,
Qui non à medio tramite flexit iter;
Qui, licèt arma ſequens, callet bene Palladis artes,
Inque vices Prudens, Belliger ínque vices;
Qui tenet incoctum generoso Pectus honeſto,
Martis & in caſtris ſe probat eſſe Pium;
Quem malè dilacerata ſuis civilibus armis
Statorem agnoſcit Terra Britanna *Fovem*;
Qui CAROLUM in Patriam magnâ cum laude reduxit,
Nullóque Anglorum ſanguine tinxit humum;
Qui tumidos docuit Batavos, quidnam Anglica poſſit
Virtus, cùm Tali ſub Duce Bella gerit;

Et

Et tandem plenus Famæ, maturus & ævi,
Deposuit vitæ tædia longa suæ;
Scire cupit si quis, sciat, *Albemarlius* Ille est,
Carmine qui dignus Nobiliore frui:
Sed quia non poterat tenuis dare vivere Musa;
Dignum laude mori, cùm dolet, illa negat.

T. Brinley, A. M. *Coll. Regal. Soc.*

IMmortale decus nostræ, Dux inclyte, gentis,
Te canimus, quoniam cantandi hæc otia nobis
Fecisti, & lassas animâsti in carmina Musas.
Mens tamen in dubio est, Virtutum ex mole Tuarum
Quas celebrare decet primùm, quas dicere versu
Incipiam; num bella canam, fusósque rebelles,
An CAROLUM dicam reducem salvósq; Britannos.
Hæc æterna Tuæ Laudis monumenta manebunt,
Quæ non ulla potest annorum abolere vetustas.
Tum pietas, & nota fides, prudentia summa
In pace, erga hostes animúsque in Marte benignus
Carmine digna forent, si possem carmine digno
Exprimere, aut aptis depingere cuncta figuris.
Laudibus at quoniam Tantis par buccina nulla
Evecti ad cœlos, pauca hæc in pulvere scribam.

Hic situs est Regni columen, Regis, Fideíque
Defensatoris fidus Defensor, & omnis
Perfidiæ vindex, dextrísque fidelibus alto
Summa Manus demissa polo, atq; rebellibus horror.

Guil. Saywell, Coll. Sti Joh. Evang. Soc.

Ergóne

ERgóne ſic clades nobis, Libitina, recentes
Uſque pariś? Noſtri vixdum funguntur ocelli
Planctibus heſternis, iterum quando ecce dolemus.
Da fontes, Natura, novos, nova flumina præbe:
Luctibus heu tantis impar Heliconius amnis.
Scilicet occubuit nullo Dux inclytus ævo
Æquandus, fortis, fauſtus, prudénſque, peritus,
Pervigil, invictus, niſi Letho, ſpéſque Britannûm,
Belgarum & terror: Te alio non jactitet Anglus
Nomine: poſſe mori tua Geſta inſignia, MONKE,
Neſcia: quando ſuos CAROLUS remeavit ad Anglos,
Mirandi iſtius reditûs Tibi gloria ſoli
Debita, quæ Tibi ſemper erit poſt fata ſuperſtes,
Dux Magne, ad ſeros & perventura Nepotes.
Cætera quid memorem? Navalia prælia mitto:
Non neſcit mundus, quantum hinc ſuccrevit honoris:
Sic velis, ſic fauſtus equis; terráque maríque
Dividis amphibias curas, auguſtior atque
Latior eſt Virtus Tua quàm queat unum elementum
Complecti; ſolidúmque ſuper cadis Ipſe ſub undis?
Sic quem non fera vis, non bellicus abſtulit enſis,
Obruit en Hydrops! Illi nil pharmaca proſunt:
Nil medicæ valuêre manus: Nil ſuccus & herba:
Eheu! quòd nullâ mors eſt medicabilis arte.

H. Atherton, M. B. *Coll. Chriſti.*

QUi tantos tulerat terráque maríque triumphos,
Subditus imperio eſt, Atropos, Ille tuo.

Qui tria regna potens imis revocavit ab umbris,
Ipse per Elysium en ambulat umbra nemus.
Qui ver optatum CAROLO cum Sole reduxit,
Non autumnum ejus nunc Libitina fugit.
Quique Chaos nostrum pepulit, tristesque ruinas,
Ossa ruinosis tradidit Ille rogis.
Tradidit; at nescit sua tradere gesta sepulcris;
Par sonat Illius Buccina, Fama, tuæ.
Occidit! Heliacè veluti tamen occidit astrum,
Immersus radiis occidit ille suis.

Guil. Sergeant, A. M. Coll. Regal. Soc.

In Clarissimum ALBEMARL. *Ducem 3. Nov. Jan. obeuntem.*

SIccine, Jane, novum nostratibus invehis annum?
Sic premis infausto limina prima pede?
Quis nunc venturas non formidaverit horas,
Si labor est tantus tempora prima pati?
(Tempora prima quidem nostris inscripta Calendis,
Ultima sed vitæ tempora, MONCKE, Tuæ.)
Pace vigens, florens belloque Britannia, luge;
Occubuit pacis militiæque decus.
Ejus da tumulo lacrymas, qui non ità dudum
Languenti dederat gaudia tanta tibi:
Qui te restituit labentem, respice lapsum,
Quique salus fuerat, sit tuus Ille dolor.
Defleat Antistes, Satrapa hunc & ploret adempcum,
Officium præstet vulgus & ipse suum.

Qui-

THRENODIA.

Quilibet Ordo fuit viventi debitor, ergò
Defuncti tumulò quilibet Ordo litet.
Det quod quisque potest, frustrà tamen omnia dantur,
Respondent Tanto præmia nulla Viro.
Ergò vale, per Quem, Dux optime, cuncta valebant,
Quo sine cuncta essent nil valitura, vale.

Joan. Lytcott, Coll. Regal. Soc.

ALbion, occidimus; Nostræ jam gemma Coronæ,
Regis Amor, Britonúmq; decus, fidissima Regna
Spes cecidit, Patriæ periit Flos, Gloria mundi.
Jactet Peliden, Agamemnona Græcia jactet,
Roma Ducésque crepet magnos, duo fulmina belli
Mantua grandiloquo celebret Mavortia cantu;
MONCKIUS Europâ totâ cantabitur; Unus
Omnium Hic instar erat: Qualem non viderit usquam
Aut oculus *Phœbi*, bifrons aut Janus: in armis
Quis major tantúsve audit? Quis tanta tropæa
Aut meruit, retulítve? Tuum, Neptune, Tridentem
Testamur, vestrum Triton Sceptrúmque bisulcum.
Aurato qualis mucrone armatus Orion,
Cùm nautas trepidare facit, cùm territat æquor;
Ense ferox talis medios delapsus in Hostes
MONCKIUS emicuit, vultu sic terruit Hostes.
Sicanium ad fontem tacito sub gurgite serpit
Nobilis Alpheus, gratósque immiscet amores:
Sic Heros Magnus tacito conamine Regnum,
Amplexu CAROLI vetito, suffulsit; & Ipsum
Albioni CAROLUM tandem, Mitrámq; sacellis

Reddidit, & cunctis Pacem donavit: ut astra
Splendida, cùm coëunt, depromunt lucis honorem,
Omne penu Lucis, radiis nè gloria desit;
Inter Magnates sic non mentitus honores
Effulsit propriâ spectandus luce; reliquit,
Occiduæ interdum ut stellæ, non tramitis orbem
Infamem: repetens quam nunc Astræa Coronam
Sidere multipliti decoratam pollice nectit,
Se super aurato Virtus tulit axe Bootæ:
Tantæ mentis erat Patriæ inservire Saluti.

O Wigmore, Coll. Regin.

OCcidit Angligenæ Monarchæ gloria gentis,
Nostræque laus Britanniæ;
At meritis titulisque gravem matura senectus
Hunc patriæ suæ Patrem
Abstulit, utque olim Brutum sua Roma, parentem
Atrata deflet Albion.
Hujus nempe armis pacata rebellis Ierne,
Victúsque Scotus contumax:
Hunc Galli Batavíque truces metuêre cientem
Navium phalangas æreas,
Dum conjurati venêre ad classica venti,
Famulatus & maris Deus;
Tremuerunt, ruerúntque fugâ, Neptuniáque arva
Novis rubuerunt cædibus.
Quid verò tantis, Heros invicte, litabunt
Seri nepotes laudibus?

Te

THRENODIA.

Te divini olim celebrabunt carmine vates,
Utriusque CAROLI vindicem:
Quo Duce vel centum Patriæ cecidêre Tyranni,
Belluáque Regni multiceps.
Seditio tacuit, sapuit Fanatica turba,
Regíque didicit obsequi.
Interea antiquâ sub Relligione Britanni
Sacris avitis gestiunt;
Canitiem priscam venerandáque jura resumunt,
Sub Rege dum florent pio.
At Te cùm pietas, jura, & cum Principe plebes
Terris ademptum lugeant,
Præsi dióque orbata suo gemat Anglia, Regni
Virésque concussæ tremant;
Tu CAROLO *Mariâque* & quos tulit Anglia *Divis*
Fruêris inter cœlites:
Multos terra dedit, multos dedit unda triumphos,
Alios Tibi cœlum dabit.

ANglia conservata Tuis & Hibernia telis,
Imperióque diu Scotia læta Tuo,
In similes laudes junctæ, MONCÆ, laborant,
Virtutes celebrant & tria regna Tuas.

Rich. Blackburne, T. Coll.

QUamvis flere nefas te cœlo, MONCKE, receptum,
Justior haud unquam causa dolotis erat.

Flos

Flos ævi Martísque Decus, flagrúmque Profani,
Et gladius Gentis, Dux, clypeúsque tuæ.
Qui non Herculeos renuisti ferre labores
Pro Patria, vitam claudis, & astra petis.
At Tu, præ cunctis immansuetissima *Divis*,
Bella ita nobiscum cur Libitina geris?
Vicisti. Ducis exuviis, Iæva, superbi:
Delicias nostri Regis, & Orbis habes.

Simon Sayon, Coll. Regal. Alum.

QUid mihi vobiscum, Musæ? quasi fama perennis
Fabellatrici posset ab arte dari!
Sic Magni Arthuri bene consuluistis honori,
Fingendo gestis forte minora suis:
At, cui se debet Brittannia, nobilis Heros
Sincerâ longùm vivat in historiâ;
Nè, cùm posteritas tantæ miracula famæ
Audiat, hæc etiam ficta fuisse putet.

S. H. Coll. S. Joh.

QUi modò succensas Superûm placavimus iras,
Regalis oblatâ *Parentis* victimâ:
Ecce iterum instruimus nigræ solennia pompæ,
Sic Fata poscunt occidentis MONCHII:
Dii tantas reparent clades, tot funera, Regis
Non finiendâ protrahendo tempora.

Occi-

Occidit, Angliacis quo nil præſtantius oris
Indulſit unquam Maximus rerum Parens;
Ille *Pater* ſanctæ pacis, *Carolique* renati,
Tria qui potenti Regna ſervavit manu:
Is qui Lymphati fermenta audacia Zeli
Limatiori corde bene compeſcuit:
Reddere qui voluit, non uſurpare, Coronam,
Rectum Tyranni præferens potentiæ:
Qui, quicquid ſtruxit *Cromwellius* arte vel armis,
Studiis refecit maximè contrariis;
Quódque velit tanto contrarius ire Tyranno,
Encomiorum quis putet partem ultimam?
Ah! utinam interitu Tanti non tincta fuiſſet
Ingrata Magno Vindici Britannia.
Quid tamen Auguſtos Manes cœlóque propinquos,
Vanis moramur proſequentes lacrymis?
Qui potuit dare templa Deo, Regíque Coronam,
Non debuit donum accipere cœlo minus.

Tho. Nixon, T. Coll.

UNdique graſſatur rabies Lymphatica mortis,
Et flos Ille Ducum eſt nil niſi bulla tumens.
Enecat aſpectu vel Aquarius ipſe maligno,
Vulturis ínque modum viſcera rodit hydrops.
Navigat his in aquis truculenti cymba Charontis,
Dura nimis talem ſurripiendo Ducem.
Huic tamen interea morienti gloria creſcit;
Ut fiat Phœnix, vertitur in cineres.

De

De Duce in CATHEDRA *Expirante.*

POst tot confectos fremebunda per arma labores,
MONCKIUS in Cathedra languida membra levat.
Sed deerant Tantæ quia sustentacula Famæ,
(Cujus Terram oneri succubuisse putes)
Impiger ad cœlum properat, sedésque beatas,
Magnificè ut post tot bella triumphet Honos.
Labitur è Cathedrâ jamjam moriturus, & indè
Absque solæcismo pronus ad Astra cadit.

Guil. Makernesse, Coll. Eman.

RUrsus mœsta tuas Academia funde querelas,
Indulgent lacrymis fata severa tuis.
Pangemus posthàc invito gaudia fato,
Nam luctus vix, quò progrediatur, habet.
Sin, quænam gemitûs sit causa, rogaveris, hospes,
Ingenui tardum munus amoris habe.
Servitio gentem duráque Tyrannide pressam
Hunc noscas, solum Hunc, asseruisse manu:
Per multos vaga Sceptra annos, pulsámque Coronam,
Hunc, solum Hunc, proprio restituisse loco.
Audistíne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Hic Ille est humeris qui tria regna tulit.
Alcidæ in monstris celebratur fama domandis:
Non minor Huic fuerat dissimilísve labor.
Purgavit multâ corruptum fæce Senatum:
Augeæ stabulum, quantulus iste labor?

Et

Et cùm nativo maduerunt templa cruore,
Buſirim domuit, reſtituítque Deos:
Hic, cùm ſeptenis tumuiſſet Belga ceraſtis,
Vicit Lernæi dira aconita lacûs.
Inter utrumque tamen ſolum hoc diſcrimen habetur,
Hic petiit flammis ſidera, & alter Aquis.

Carolus Fraſer, T. C.

TAndem Britannos qui diu torſit polos
Læto triumphans omine,
Confractus annis, & labaſcens viribus,
Succumbit Atlas ponderi;
Orbes reſidunt, priſtinóque tramite,
Fulcro cadente, deviant.
Olympus alto contremiſcit vertice,
Et vis Britanna concidit.
Sed nec Cometes ſymbolum irati Jovis
Puro coruſcans æthere,
Nec quaſſa tellus, aut mota montium juga
Grande hoc malum prædixerant;
Leve id, ruinam Terra ſi tantùm hanc gemit;
Ipſum ecce Cœlum condolet:
Æther &, acri qui modò rigeſcens gelu
Alto ſtupore torpuit,
Poſt fata, vitæ & diſſoluta ſtamina
Ducis *Georgî* nobilis,
Mœrore tandem maximo prænubilus
Largis liqueſcit imbribus.
At ut ruinis his opem citam ferat
(Vota ô ſecundent Cœlites!)

Par ſuſtinendis orbibus Britannicis
Succedat alter Hercules.

Mylbourne, Aul. Pemb.

ÆTernùm Veneres lepidæ, ſoccíque valete,
Quæque olet exhauſtos Muſa faceta cados.
Sola etenim poſthàc edent ſuſpiria Vates,
Et Natura gravi concinet ipſa choro.
Sic fatum fera fata premunt, ſic funera funus;
Diráque adhuc tepidos excipit urna rogos.
Haud manes, Regina, tuos placaverat orbis,
Cùm nova non ſiccas opprimit unda genas.
Síccine qui Scoticas fregit, novus Hannibal, Alpes?
Sic *Batavæ* terror gentis inermis obit?
Num referet nullos facili de pace triumphos?
Sed bello indomitum Parca Togata premet?
Qui populi avertit, quin & tua, CAROLE, Fata,
Credere fas illum non potuiſſe mori,
Statorem Libitina tulit niſi fortè Latinum,
Et dedit intrepidas Marſpiter ipſe manus.

Turner Coll. Ch.

QUis leget hoc ſiccis oculis lacrymabile carmen,
Dum Tua mœremus, Dux illuſtriſſime, Fata?
Quiſnam adeò oblitus patriæ, regníque, Tuíque,
Ut Ducis ad tumulum lacrymarum flumina ſiſtat?

Teſſellata

Teſſellata manent homines quàm gaudia luctu!
Dum *Torrintonii* canimus ſponſalia læti,
Plangimus en ſubitò triſtes Epicedia *Patris*.
Heu! tantum meritò fatis licuiſſe dolemus;
Saltem illud nobis decus indulſiſſe fruendum
Debuerant ultrà Superi, nec jam pia vota
Spreviſſe, & motos mœſto de pectore planctus.
En! tandem invidiam Divorum puſtula penſat
Vulgari letho & repetito funere plebis;
Huic adeò poterant illuſtri parcere vitæ.
At Tibi non tumulos vani (Dux Magne) paramus;
Forſitan & crebri glacientur flumina luctûs,
Et lacrymis concreta exurgent marmora noſtris.

Joannes Ombler, A.M. *C. C. C. Soc.*

REginæ tacitò lacrymis & Funere functus,
En! tandem luctûs ad nova penſa vocor.
Nec minùs (*Henriettæ* manes ignoſcite ſacri)
GEORGIUS (heu!) lacrymas poſcit & Ipſe meas.
Nam ſi veſtra licet (Divi) componere facta,
Tu vitam CAROLO, Dux ſua ſceptra dedit.

Idem.

GEORGIUS MONKE *Dux de* Aumarle.

ANAGRAMMA:

Regem ego reduxi Anº Sa. MDCLVV.

Præclarus quantam nobis tulit iſte ſalutem
Annus, quo Tu fis Dux, Carolúſque *Redux!*

CÆſaris Auguſtos Vates cantare triumphos
Deſinat Aonius, vel quas victricia gentes

Æmathii Regis ſtraviſſe audivimus arma:
Non eſt, quòd ſteriles Libyæ peragremus arenas,
Aut Nili viſamus aquas, Geticóſve receſſus:
Non eſt, quòd victos Parthos, domitóſve Suëvos
Cantemus: Cùm larga ſatis (ſeu fulmina Martis
Dicere, ſeu libeat Pacis ſcrutarier artes
Ignotas) Patrii dent argumenta Penates,
Cúmque domi æterno peragantur carmine digna.
Noſtra etenim nullum produxit degener ætas
MONKÆO vel Marte parem, vel pace priorem.
Fixa Caledoniis victricia caſtra pruinis,
Cæſorúmque addens cumulos glacialis Ierne,
Quantus erat, quanta ac Illi vis bellica, teſtes:
Anglia quòd vigeat, CAROLO quòd Sceptra paterna
Reddita, vicinum quòd læta Britannia Belgam
Deſpiciat, ſolus Dux eſt *Aumarlius* Author.
Inclyta cui totum ſpargatur Fama per orbem
Nunquam digna mori; noménq; GEORGIUS Anglis
Sit Divos inter renovato jure Penates.

Guil. Lewis, A. M. *Coll. Jeſu Soc.*

JAm ſtat Pompeius quaſi Magni nominis umbra,
Et Cæſar meritò, Te Duce, nullus erit;
Orbis concutitur tantùm hoc ſub pondere, ſed Te
Alterius mundi ſentiet axis onus.

Regi & Diis charus cecidit Dux noſter, & uno
Vulnere jam *Lacheſis* læſit utrumque Jovem,
Nè poſſet Superûm fulmen meruiſſe ſecundum,
Fœmina diviſum cum Jove numen habet.

Ferrea

Ferrea belligeri cùm clauſit limina Jani,
Et quicquid dignum fulmine, ſtravit humi,
Præteritos cum laude dies numeravit, & annos,
Nec jam poſt fatum gloria ſera venit;
MONCKIUS in ſella volitat ſuper aſtra curuli,
Ut fiat CAROLO Conſul ubique ſuo.

Guil. Baldwin, A.M. *T. C. S.*

QUid miſeros urgent repetito vulnere Parcæ?
Quid luctus renovant ingeminántque novos?
Diris unde manus fatis tam certa nocendi?
Quónam uſque hæc ſeries continuata mali?
Non ſatis ut ſpolient Anglos virtute *Mariæ*,
Ni prorſus Regni Robur, & arma ruant?
At quid ego crebris pergo indulgere querelis,
Et miſer iratis imputo fata Deis?
Eſt, ubi in aëriis *Cromwellia* turba vehiclis
Errantes, vitâ facta priore luunt:
Illic attonitos crudelis conſcia culpæ
Mens habet, & ſurdo verbere ſæva ferit:
Huc ubi pervenit *Mariæ* ſpiritus Almæ,
Debita virtuti Regna ſuperna petens.
Stant contrà ſtaríque jubent: Reverentia nulla eſt,
Sed ſolitus reſtat nunc feritatis amor:
Illa impar numero, fidíque ſatellitis orba,
Quid facerent miſeræ turba moleſta, rogat:
Omnes conveniunt hilares, iterúmque Tribunal
Sanguineum Judex ſcandit iniquus ovans,

Exoſus

Exosus Reges tremulæ scelus omne minatur,
Et quæ perpessus cunque Maritus erat.
GEORGIUS hoc vidit, dedignatúsque videre,
Protinus aërias gestit adire domos;
Nobilis irâ animus fervens, ergastula parvi,
Non malè festinus, corporis arcta fugit;
Currit in auxilium velox: Manésque ruinâ,
Quàm quondam vivos, non leviore quatit:
Ac veluti *Phœbus* coëuntes lumine nubes,
Sævos nudato strenuus ense fugat:
Hoc Duce carpit iter Regina: En! Janua cœli
Panditur; Angelico stat comitata choro.
GEORGIUS Herôum socius, nec segnior umbra,
Cœlestis lustrat limina sacra domûs:
Mirantur Superi: Venienti cedit *Apollo*,
Gestit & illustri Mars minor ire Duce.

At Tu deliciæ nostræ, Celsissime *Princeps*,
Imperii quamvis magna columna cadat;
Da veniam, ut Tanto sit tuta Satellite Mater;
Non potuit causâ nobiliore mori.

Jo. Lord, A. B. *Coll. Jes.*

In Serpentem à Sancto GEORGIO *devictum.*

CAppadocis frustrà memorantur facta GEORGI;
Fama Duci nostro convenit illa magis.

Hæresis

THRENODIA.

Hæreſis eſt Serpens, captiva Eccleſia Virgo,
Quam ſcopulo affixam liberat enſe ſuo.

Chriſtoph. Hatton, Commenſ. Coll. Jeſu,
Equitis Aurati Filius.

JAm pergas fatum, fruſtrà eſt majora minari,
Sat ſenſit vires Terra Britanna tuas.
Jam via lata patet; Decus & Tutamen in armis
Occidit; & quam det miles inermis opem?
Marte Tuo Batavos, Dux inclyte, vicimus acres,
Quódque magìs mirum eſt, æquore pugna fuit.
Viciſti Scotos, ſupra omnia, & Albion enſi
Bellica gens *velum* ſubdidit ipſa Tuo.
Proh dolor, at tandem laſſo, gravidóque triumphis
Pulvinar capiti dat Libitina Tuo.
Splendidus aſtrorum obſtupuit chorus omnis ab alto,
Sidus in occaſum dum Boreale ruit.
Te velut amiſſum cur ploret noſtra, GEORGI,
Anglia? cur mœſtas defluat in lacrymas?
Quem gemit extinctum, vivit jam duplice vitâ;
Laus Ejus terras occupat, Ille polum.

Jac. Clerke, Coll. Regal. Soc.

VIciſti, meruiſti, & regna minora dediſti;
Jam Tibi, Te potuit qui dare digna, dedit.

E. Bathurſt, Coll. Trin.

Carmen

Carmen Lapidarium.

ATtende, quisquis es, Viator,
Hîc jacent cineres Numinis Tutelaris
Orbis Britannici,
Cujus impetum sustinere
Nè tota quidem ausa est
Fanaticorum rebellis manus.
Ad cujus obitum ipsa expalluit Victoria,
Utpote probè conscia, Illo mortuo,
Non adeò liquidos se habitura Triumphos;
Cujus prudentiâ *Conventiculi* tyrannici
Artes elusæ sunt:
Cujus Generosum pectus
(Cùm rerum summis potiebatur)
Nón imperii illecebræ, non Coronæ splendor,
Unà cum trium regnorum tergeminis honoribus
A fide Regi debitâ
Dimovere poterant.
En egregiam virtutis Hyberbolen!
Nè quidem regnandi causâ jus
Violandum censuit:
En divinioris prærogativæ participem!
Quippe per Quem Reges regnant, Principésque
Anglicani justitiam decernent
In omne ævum.
En Numinis Archetypum,
Cujus virtute resurrectionem vidimus
Regiminis Monarchici:

Sanctus

THRENODIA.

Sanctus GEORGIUS, Hercules Anglicanus
Hydram Fanaticam,
Belluam multorum capitum
Interfecit, obtruncavit.
En ſummum Gloriæ militaris apicem!
Devictis terrâ marique hoſtibus,
Nè otio langueſceret,
Novum inſtituit iter ad cœlos,
Quos ſacrâ aggreditur violentiâ,
Et more expugnat ſuo:
Ubi inter omnes retrolapſi ſeculi Heroas
Æternos agit Triumphos.

Carminis ſoluti Apologeticum.

FOrma meos neglecta decet (Dux Magne) dolores,
Agnoſcit nullos Nænia noſtra modos.
Intumuit flumen, toto ſpatiatur in agro:
Cùm nôrunt ſuetas flumina parva vias.
Veſtibus incedit laceris, & crine ſoluto
Præfica, diſſimile eſt luctibus artis opus.
Tranſiit Herculeas cùm illuſtris Fama columnas,
Nec fixa eſt Geſtis ultima terra Tuis:
Æſtuat infelix anguſto limite Muſa,
Compedibus metri dum jacet implicita.
Dum querulas fundit voces nullo ordine Muſa,
Præ damno facta eſt Enthea, mentis inops.

Joſephus Carr, Coll. Div. Joan. Commenſal.

Arma Virumq; tenet, quam conspicis urna, Viator,
Restituit justâ qui tria regna morâ.
Quem rabies tardum, vocat Hunc sapientia cautum,
Nam lento incedunt corpora magna gradu.
Tanta ruina jubet veterem renovare dolorem,
Vivere nunc vero nomine (crede) mori est.
Funera tot nobis Tua sunt monumenta relictis,
Subduntur bustis nostra sepulcra Tuis.
Quum prior orsus eras gentem formare superbam,
Intonuit lævùm Juppiter acta probans:
Attoniti hæserunt, tacti quasi fulminis ictu,
Quotquot polluti sanguine Regis erant.
Exulat en pietas, clamant, virtúsque, fidésque
Nobiscum fugiunt: vos gravis ira manet.
Cuíque Deum sermone colunt, sed pectore temnunt,
Senserunt longas nil valuisse preces.
Pulpita, falsorum velut olim orac'la Deorum,
Fraudibus acta piis, Te veniente, silent.
Ut vires metuêre Tuas Polus alter, & alter?
Ut cecidit miseris conscia turba modis?
Illud grande Tuum (taceo nunc cætera) Nomen
Terribile est cunctis gente vel arte Scotis.
Agmina profligat quoscunque inimica tenebant,
Militiæ Batavos, Schismaticósque domi.
Nulla salus bello, non portubus otia clausis,
Quum Monachus medias classe secabat aquas.
Corde magis, toto divisis orbe Britannis,
Quàm pelago, pacem vis Tua fida dedit.
Nec voluit longum Regni caput esse Senatum,
(Trojani forsan Cauda vocentur equi)
Sed gladii vinctos, & mentis acumine duxit,
Ut mala, quæ meruit crimine, quisque ferat.

Qui

Qui ſe pro Dominis, habuit pro ſuribus illos,
Ut quibus eſt meritum, ſit quoque finis, idem.
Fortior es meliórne, ſit id ſub judice; certum
Hoc unum eſt, nemo fortior, aut melior.
Qualia damna facit gens Te moriente? —ſed ipſe
Conſultò lacrymis parco, nec erro, meis.
Flent, qui pauca dolent; *Eſt quædam flere voluptas*,
Nè minùs ipſe *gemam*, ſit mihi *flere* nefas.

Arth. Orchard, Coll. Div. Joh. Soc.

ERgò ſollicitant alios nova funera luctus?
Et geminant ictus invida fata ſuos?
At nos credidimus *Mariæ* poſt funera, vires
Conſumpſiſſe omnes fata vel ipſa ſuas.
Credidimus miſeri; ſed nec ſatis una ruina eſt;
Vel primâ gravior plaga ſecunda venit.
Una Ducem nobis rapuit Sors, una *Mariam*;
Illa ſuos luctus attulit; Ille ſuos.
Dicite nunc utrùm *numero Deus impare gaudet*;
Cùm neque, ſi veniat Sola, *Maria* placet.
At vos lethales, quibus obrutus occidit, undæ,
Quæ poſſit tantum lympha piare ſcelus?
Sit jam luctus hydrops, cauſámque imitante dolore
Flete oculi; atque undas expiet unda ſuas:
Funere communi quondam totum obruit orbem
Unda; tamen majus nunc fuit auſa nefas.
Ergò fatale eſt: ſemper cadit æquore *Phœbus*;
Occidit in propriis Sol quoque Noſter aquis.

Jámque vale dicto, vultúque annóque sereno,
Edidit hos moriens, ultima verba, sonos.
En! post innumeros terráque marique triumphos,
Terra suum Dominum Me vocat, unda suum.
Infernos vici Reges, cùm nuper ab orco,
Et redii Stygiis, Herculis instar, aquis.
Quando igitur terræque, undæque, ac Tartara, regna
Imperiis parent interiora meis;
Astra manent adeunda Mihi; Me sidera poscunt,
Aucta modò adventu, *Diva Maria*, Tuo.
Ergò triumphali vectus super æthera curru,
Ad cœlos venio, *Diva Maria*, Tuos.
Pluto Stygi, ponto Neptunus, Juppiter astris,
Imperiis præsunt Numina terna tribus:
Sed quantò major fuit unus MONCHIUS, unus
Regnorum tulerat qui tria Sceptra trium?

Humfr. Newbery, Coll. Regal. Soc.

JAnus qui elapsum ac præsentem conspicit annum,
Causam, cur vultu ploret utroque, videt:
Hâc Regis *Matrem* sublatam luce, sed Illâ,
Quem Reducis placuit dicere, fronte, *Patrem*;
Cujus cùm vellet luctum persolvere pompæ,
Lætitiæ jussit, quam dedit, esse parem.
Sic, ah! Lethæis moriens illabitur undis?
Tandem infida Ducem dant elementa neci?
Qui siccus toties emersérat æquoris undis,
Hydropis tandem naufragus amne perit?

Immo,

Immo, cutis tumuit venturi conſcia Fati;
Vena labaſcenti præfica quæque fuit.
Exundans lacrymis pullata Britannia triſte
Diluvium, pariter, Dux, Tua Fata, timet.
Quiſque ſagum ſumat lateri, pereunte Gradivo,
Horridior ſolito jam quoque miles eat.
Iratus ſtimulante Noto det ſibila ſerpens,
Jam lacrymis ſurdùm tympana mœſta ſonent.
Et donec ſurgat, bene parcas, buccina, voci,
Turmas nunc ſegnes haud animare vales.
Tu, Rex Magne, Ducem ſic grato munere vince,
Hunc te cùm regno reſtituiſſe ferant;
Aſt Illum, proprio decores dum funera ſumptu,
Officiis tantis inclyte, redde polo.

Epitaphium.

OCcidit hîc jubaris *Carolini* Phoſphorus, Aulæ
Splendor, Militiæ gloria, Pacis honos,
Belli fulmen, amor Patriæ, Virtutis alumnus,
Cleri fulcimen, Relligionis apex.

Edv. Goodall, Coll. Regal. Soc.

QUas Tibi devoti cives pro Rege renato,
Summe Ducum, grates? quæ pia justa dabunt?
Queis licuit per Te CAROLO dixisse salutem,
Hi Tibi sustineant dicere triste vale?
Dignus eras post tot pelagi bellique tumultus,
Ut caperent finem vitáque lauíque parem.
Pugnâsti, Dux Magne, domi, &, Te milite, nostras
Senserunt Batavi prævaluisse manus.
Quàm malè respondent atræ solennia pompæ
Victori, ad funus purpuráque apta Tuum.
O si Victor adhuc! nec laurum mœsta cupressus
Vinceret, aut premeret palmam inimica dies!
Talis es, in cineres quem tam gravis intulit hora,
Qui *Tua*, dum moreris, *Publica* busta facis.
Sic Patriæ vixisse juvet, cùm funus & umbram
Plorat, & emeritum Patria tota Ducem.
Sit licèt ambiguum quis plus Tibi debeat uni,
CAROLUS aut populus, certus utrique dolor.
Fila tamen vitæ car Fata fine ense recidunt?
Ad laudes faciet mors quoque ficca Tuas;
Cúmque Duces Ducibus, Tibi non hæc ultima laus est
Nullius in terris occubuisse manu.
Palma Triumphales si parvula vendicat arcus,
Victorem minimum si monumenta manent,
Quas Tibi Pyramidas condemus, vindice ferro
Servili solvis Qui tria Regna jugo.

THRENODIA.

In Obitum Ducis non diu poſt mortem Reginæ Matris in Gallia.

USque adeo Gallæ eſt imitatrix Anglia gentis?
Cognato pereunt Dúxque Parénſque rogo?
Sumit, ut hinc habitus, nova Fata Britannia? veſtes
Pullatæ, metuo, & funera, moris erunt.

Fa. Linfield, Trin. Coll.

FLamma ſuper *Londinum* aſſultibus ardua venit,
Regnans pérq; hominum culmina, pérq; Deûm.
Stella malo præerat: cœlo ægrotante coorta eſt,
Quæ tantam aggeſſit ſtragem, inimica lues.
Nunc cùm pullati ſequimur Tua funera MONCKI,
Barbam alere in tantis luctibus aſtra decet.
En Bellator equus ſingultibus ilia longis
Tenditur, & lacrymis grandibus ora madet:
Progreditur mœſtus, verſíſque exercitus armis,
Exequias magni quos Ducis ire putes.
Quantum, Summe Pater, quantúmque Britannia perdis
Præſidium! & quantas terra recondit opes!
Huic vigor, atque animus magnos accinctus in uſus,
Multáque pro Domino Cæſare cura vigil:
Primus apex bellorum, & nulli proxima caſſis,
Seu pedes, acrem ſeu preſſerit altus equum.
Nec toties laſſata habuit Fortuna regreſſum,
Sed, quod non alio ſub Duce, fida fuit.

Juverna

Juverna exululans patriâ caput abdidit ulvâ,
Ille ut concussit, turbinis instar, agros:
Sic cùm tempestas cœlo ruit agmen aquarum,
Assolet in putri Rana palude queri.
Arctoas, Scoto cupiente, accepit habenas;
Nominis hoc aliis fàrque supérque foret:
Actum Illi nihil est, frangat nisi milite portas,
Et possit latam Regi aperire viam.
Famâ Ingens! cui Rex solium proavitáque Regna,
Cui Regem acceptum terra Britanna refert:
Haud solùm terra, in manibus pars altera rerum est,
Dum fœtis bello navibus æquor arat.
Bis ferro Batavos sequitur, flammáque carinas,
Fulmineis terebrans pinea claustra globis.
Tantum de nobis meruit licèt, omnia necdum
Solvuntur; Patriæ vivere debuerat.
Bellatori animo tu pax ingloria letho es;
Languenti insidèrent vitam animámque tubæ:
Ceu tinnitus apes, asperrima corda, reducit;
Defunctum poterant æra ciere virum.
At, quo apibus motus animorum, & prælia, jactu
Púlveris exigui MONCKIUS ipse jacet.

L. Welsted, Trin. Coll.

INnumeris *Monachis* quævis scatet insula, tantùm
Unus erat nobis, & satis unus erat,
Dum vixit satis unus erat; verùm hoc dolet, Illo
Dempto, nos *Monachos* non habuisse duos.

In

THRENODIA.

In DUCEM *post altas Nives extemplò morientem.*

UNda gelu nuper nimiùm constricta rigebat,
Et nivibus tellus undique tecta fuit.
Te vultum extincto mutat natura priorem,
In lacrymásque abiens ad Tua busta ruit.
Temnit terra nives, defuncto Principe Tanto,
Tam nitidè ornari judicat esse nefas:
Et Tua nè non sat fleat Anglia funera, Olympus
Ipse suis pluviis officiosus adest.
En! quàm charus eras Terris? quàm charus & Astris?
Quem sic amissum mundus uterque dolet.

T. Lynford, Coll. Chr.

PRosequimur planctu Heröem, qui Numine fausto,
Mendax quæ finxit Græcia, facta dedit.
Herculeâ, cujus gladio, non mitior hydra,
Multorum capitum bellua, victa jacet.
Evasit, *Perseu*, Te vindice, salva, tremendo
Andromede monstro præda parata maris.
Perseus, *Hic*, Noster: gens illa Britannica virgo est:
Nympha nec in Pelagi pulchrior ulla sinu:
Hæc Duce sub nostro fauces elusit hiantis,
Sanguine quæ Regis nec satiata, feræ.
Virgineáque fide pollens Ecclesia, quòd sit,
Hujus ab auspiciis, quódque refulget, habet.

Omnia, cunctando minimùm, sed cuncta tegendo,
Restituit, *Fabio* nè minor indè foret.
Nempe dedit reducem nobis, sub Numine, Regem:
Quo jam majus habent vota precésque nihil.
Quin siccos (mirúmne magis pulchrúmne!) triumphos
Sanguine non gladium commaculante, tulit.
Nec titulum invideat, cui Rex non invidet, ullus,
Civis dum Patriæ dicitur esse Pater.
Æmulus Herois Sancti sic, monstra domando,
Cujus gaudebat nomine, laude nitet:
Ætas ut meritò dubitârit posterа, Divus
An Tutelaris, noster, an alter erat.

Ol. Dorley, Coll. Regal. Soc.

QUisquámne hæc tantùm vulgari funera fletu
Excipit? aut siccis pompam comitatur ocellis?
Exundent lacrymæ; miseris vix sufficit humor
Libandus cineri tanto: mihi carmina luctus
Expressit, lacrymæque suos, corpore relicto,
Extorquere valent, præsénsque dolentia versus.
Quòd si magnorum fuerit seges ampla virorum,
Defunctóve parem si fortè reponeret urna;
Sive aliquis, quum paulatim defecerit Atlas,
Sustentare polos (nutantia pondera rerum)
Auderétque humeris ruituro occurrere cœlo;
Spes poterat superesse malis, damnóque superstes
Auxilium nostras iterum sarcire ruinas.
Assyrius qualis redivivo funere Phœnix,
Natales ubi triste rogos implevit aroma,

Ipsâ

Ipsâ morte ferax, proprióque cruore rigatus
Exsilit è flammis, gaudétque superstite fato.
Ludimur heu! frustrà, perituráque vota movemus
Attoniti; nullis unquam reparanda querelis
Funera, nec vanos finxit Fortuna timores.
Quanta Tuis meritis debetur gloria, quanta
Virtutis momenta tuis crevêre sub annis!
Te vixdum Juvenem levibus victoria pennis
Sustulit, & famæ dederat præsaga futuræ
Prima rudimenta, & teneros exercuit annos.
Non hunc deliciæ molles fregêre, laboris
Impatiens luxus, demptæ nec crimine vires.
Non timor exsanguis pallentis conscia culpæ
Pectora laxavit, nec pigro crapula morbo
Interrupit opus, cœptis dum sedulus instat.
Quid memorem strages, quas perfida sensit Iernè?
Sive Caledonios, quos Hic eluserit, æstus?
Bis domitos Belgas taceo, dibaphúmque cruore
Oceanum, atque animos ipsa cum classe fugatos.
Quid fremis incassùm Leo Belgice? parce triumphis,
Parce minis. Hujus jam cognita tempora laurus
Ambitiosa petit, non unquam ignara repulsæ.
Nec vinci nimiùm doleas; sub Numine Tanto
Quòd pereas, gaudere decet, victórque pudorem
Imminuit, fatóque cadens majore resurgis.
Hector adest, secúmque Deos in prælia ducit,
Cui pietas vexilla levat, clypeíque refulget
Relligio, gladióque regit; comitatur euntem
Virtutum veneranda cohors; Prudentia comis,
Intemerata Fides, placidóque Modestia vultu
Incedunt. Nunquam tristis Bellona fugavit
Justitiam, in mediis pietatem exercuit armis.

Hic status, hi mores, hic nobilis ardor honesti;
Quem neque destiterat studiis Constantia pulchris
Fulcire, & lentas dederat Patientia vires.
Hic Ille inprimis, cui Dii matura secundi
Consilia, atque animo rerum momenta reponunt.
Viderat oppressos cives, legésque refixas
Arbitrio Plebis, movit quam dira Tyrannis,
Et rabies malesana, atque insscia pectora justi.
Viderat (& lacrymis paulùm compresserat iram)
Proscriptum Regem, & proceres, ipsósque nocendi
Artifices pompâ insigni contemnere jura,
Et quicquid sacrum est pedibus calcare profanis:
Hoc mihi tempus, ait, jamjam properemus, & unà
Pugnemus ducibus Divis, cœlóque favente.
Hic Ille est, nobis CAROLUM qui reddidit, Ipsi
Sceptra dedit CAROLO; satius cui regna dedisse
Quàm regnâsse fuit; cui sordet crimine parta
Gloria, & indignos qui audet spreviſſe triumphos.
Privatæ non sunt in tanto funere curæ:
Hunc Patriæ communis amor, Patriæque Parentis
Prosequitur mœrens: quantum est à Principe Tanto
Plorari! hæc lacrymis maduerunt marmora veris.
Nec *Tamesis* tantùm parcas accommodat undas,
Sed *Rhenus*, *Scaldisque*, citis & *Mosa* fluentis.
Huic olim infensi, placidâ jam mente Batavi,
Immortalem adeò factis, famáque perennem
Mirantur potuisse mori.---

Sed quid ego has amens nequicquam fundo querelas?
Vidimus antè hujus languentis stamina vitæ,
Quum tremulus pendebat amor, majoráq; veris
Fingebat timor, & vana sub imagine ludens.

Seu

Seu vidiſſe juvat quantis hæc funera conſtent
Luctibus, immenſóque parent nos antè dolori:
Seu rigidæ oſtendunt longo certamine Parcæ
Vix tandem potuiſſe capi. Cadit Ille triumphus
Ætheris, atque labor: Qualis ſtat montibus ornus
Fixa diu, ridens vacui ſuſpiria venti;
Aëreum quatit illa caput, condítque ſuperba
Nubibus; hanc quum fortè tamen manus invida tentat
Securam, aut ſævâ aggreditur violare bipenni;
Innumeros quamvis validè duravit ad ictus
Sublimes concuſsa comas, tandem illa ſupremùm
Ingemit, antiquæ cadit & mox gloria ſylvæ.

Fran. Bridge, A. M. *Trin. Coll. Soc.*

LUctibus, & largo celebres jam funera fletu,
Melpomene, lacrymíſq; oculi ceu flumine manent:
Interea at taceas, elegos nec garrula tentes.
Non levibus calamis, duri ſed cuſpide ferri
Digna magìs ſcribi, quæ Dux diſcrimina paſſus,
Ardua tot geſſit cùm prælia: Talia fari
Non poterunt tenui deducta Poëmata filo.

Florentis ramum ſi Pax oſtentet Olivæ,
Grata quidem Regnis, doctis pergrata Camœnis;
Conſilio Illius prudente Britannia floret,
Mulcetúrq; domi rabies maleſana Popelli.
Infeſta Anglorum paci Gens extera bellum
Si tentet, ſævâſque acies in prælia cogat;
Acrior ad pugnam redit Ille, reſuſcitat ira

Vires,

Vires, & lauri victricia tempora cingunt:
Sic hostem dum Marte premit, regit arte Senatum,
Lauro ejus multum, multum debemus Olivæ,
Quæ Anglos, *Regalem Quercum* mediámq; tuentur.
Ergò etiam, vivens vinci qui nescius armis,
Et morbo & letho timidè succumbere nescit;
Tetrica fata instant; fatis nec territus Ille,
Nec mortem metuit, sed amicis excipit ulnis:
Quémque datis (dixit) mihi, Vos, ô Numina, prenso
In cœlos aditum; in terris sat magna peregi.

Occidit (heu) nigris CAROLINUS Phosphorus umbris,
Præsidium Regis, Procerûm, Populíque voluptas,
GEORGIUS en Alter, nulli tamen Ipse secundus.
Qui, cùm Belgarum ferrúmque, ignémque, ratésque
Sustinuit toties, toties maris ire per undas
Ausus, & impavidus densis obsistere turmis,
Atque Anglos penitùs fudit stravítque rebelles,
Ignava imbellis non sustinet otia vitæ,
Pace sed occumbit, non expugnabilis armis.

R. Manlove, A. M. Magd. Coll. Soc.

NOndum depositit pullatas Anglia Vestes,
Funera Reginæ jam vix eluximus, atros
Cùm, Libitina, jubes iterum renovare dolores.
Turbidus ergò Helicon lacrymarum flumine semper
Manabit? scribéntque æterna Epicedia Musæ?
Heu! jacet Occiduus nostro jam Phosphorus orbi,
Qui Solem Angliacum dextrâ victrice reduxit,

Restituítque

Reſtituítque Throno, ſphæráque locavit avitâ.
Opprimet hæc Clades te totam, Europa; ruinis
Indoleat Gens quæque gemens noſtríſque, ſuíſque,
Non, MONKÆE, tuis. Tibi Adorea fumat opima,
Pellæíque Ducis quæ Cæſareóſque triumphos
Exſuperet, famæ mentitâ voce tumentes.
Non Tibi quadrupedis, GEORGI, picta ora Draconis
Ornabunt tumulum, ſed centum preſſa Tyrannûm
Cauda furens, celſo Eclipſin tractura Monarchæ.
Nos dubitamus adhuc, an plus Tibi debeat Uni
CAROLUS, an Populus. Regimen ſub pondere nutans,
Fluctibus Euripi & concuſſa hæc inſula, Delos
Jam facta horrendo *Cromwelli* mobilis æſtu,
Ad Te Magnetem Pacis converſa potentem
Fixa Polo ſtabat, placidæque potita quietis.
Qualis Atlas vaſtum circumplectentibus Orbem
Fert humeris, tria ſic ſulſiſti, Maxime, Regna.
Hæc, Te (proh dolor!) erepto, labefacta redirent
In *Chaos* antiquum, niſi CAROLUS ipſe ſuperſtes
Herculeis noſtrum ſulciret viribus Axem.
Sed Ducis atratam ſequimur dum fletibus urnam,
Ecce albis iterum radiis ſplendeſcit Horizon,
Plauſtráque conſpicias picti per inania Cœli,
Nuper ut in Terris, & adhuc Carolina ſequentem.

Ro. Crayford, Coll. Gon. & Caii.

In Ducem, qui paulò poſt mortem Papæ *obiit.*

SÆva ſibi innumeros cumulat Libitina Triumphos,
Ut Dea diſcupiens ambitioſa coli.

Sede-

Sede suâ Papam, tum nostrum Heroa *Cathedrâ*
Ejicit: id magnum, majus at istud opus.
Ut sibi soli esset Cœli Terræque potestas,
Claves Papæ aufert Mors, *gladiúmque* Duci.

F. Warly, A. C. S.

TErrita cùm sævis Academia abortiit armis,
Suppositа in gremium barbara turba fuit:
O quàm Te memorem, assertor fortissime MONCKI!
Quàm Tua proscriptas hasta redemit opes!
Nulla duarum audita foret, nec visa Sororum,
His si dotales Mars rapuisset agros.
Fas igitur, cujus semper debebitur armis
Quòd sua non plorent funera, flere Tua.

L. Welsted, Trin. Coll.

ERgóne sic nostræ voluerunt Numina gentis
Tam sævas refovere iras? Ergò insula rursus
Tam subitò in lacrymas luctu gemitúque liquescit?
Parcite vos Superi; Si fortè Britannia lætis
Non moderata animum rebus, renovare dolores
Cogemur miseri, repetitáque plangere fata?
Hei mihi, quòd scelera & noxas furiásque rebelles
Haud satis eluimus densatâ clade: Sed anni
Festa vocant, solitæque dapes, animósque voluptas
Sueta capit, Janíque redit nova pompa Calendis;

Cùm

THRENODIA.

Cùm Dux, imperio fortunæ major, ad aras
Victima, conturbat genios & gaudia luctu.
Nos miseri, qui hinc ad Superos Heroa receptum
Antea credidimus potuisse obsistere fatis,
Immitésque unum trinas superare Sorores.
Non tamen omnino terris mors atra valebit
Tollere, quas posuit virtus MONCEA, columnas;
Æternùm at florens decus, & per secula totum
Fama Ducis, Fato major, se sparget in orbem.

Joh. Bird, Trin. Coll.

Apotheosis Illustrissimi GEORGII *Ducis* ALBÆMARLÆ.

NObile depositum, Dux Invictissime, Cœli
Deseris indignas excusso pondere terras;
Et Cœlum repetis, cognatáque sidera lætus;
At neque sic tandem evades; Non effugis omnis,
Insequor ipse premens Animæ vestigia tantæ:
Ecce! Tui memorem pietas gratissima jussit
Ætheream reserare plagam, atque habitacula Divûm.
Aëreos extra tractus, atque ordine certo
Volventes Terras, densæque palatia Noctis
Est Regio solidâ atque immensâ luce nitescens,
Quæ pace æternâ fruitur cum sole perenni.
Huc rectà tendebat iter generosa Britanni
Heroïs mens nota polis, populóque Beato:
Quippe Senatores Genii, quibus Anglia curæ est,

Hîc loca pro meritis cuique assignare ferentur,
Hîc templum posuisse suum, coetúsque frequentes
Hîc agere, atque suæ tractare negotia Gentis.
Cùm tanti adventûs volitásset fama per oras
Ætheris, & limen tetigisset MONCKIUS altum,
Surrexêre omnes, intentíque ora tenebant
In magnum Heroëm, — — —
Ex his & formâ & solio præstantior unus
Sic illum aggressus, Chare ô Commilito! dixit,
O socie! ô nostris gratissime sedibus Hospes!
Ille ego sum (nè te insoliti Reverentia vultûs
Terreat) ille ego sum quem grata Britannia vestra
Tutorem agnoscit Genium, celebrátque quotannis;
GEORGIUS appellor (tum protinus irruit arctos
In Magni Ducis amplexus, rapidísque levatis
Heroëm manibus circumfluit ille recentem,)
Expectatus ades (sic tandem perficit ors)
Quem dixêre suum supremus & infimus Orbis:
Angelus in terris Custos, interque Beatos
Non novus ascriptus Civis, tibi mille salutes,
Mille tibi lætus grates impertior, (inquit)
Et de confecto tibi gratulor Ipse Dracone:
Quem solum probitate piâ cataphractus, & usus
Moribus antiquis stravisti sanditus Ipse.
Hæc sibi constantis miracula plurima mentis,
Hoc dextræ sapientis opus numerosius omne
Exequar, ô liceat recolenti singula plenè
Dicere, & æquali Tua carmine facta referre:
Nempe reformando & ducendo in milite quanta,
Cauta, quieta, sagax, fortis prudentia fulget:
Quanta recusati generosa Modestia Regni
Privato oblati, dum Te movet unica totum

Charior

THRENODIA.

Charior injuſtis probitas Tibi mille Coronis:
Quanta Tibi patrii Reverentia juſta Senatûs?
Quanta animi tibi flamma, Suis ut debitus Hæres
Accedat Regnis, Sceptríſque fruatur avitis?
Hæc Tua ſunt, ingens mihi carminis Argumentum.
Dixerat, & tanquam meditatus grandia paulùm
Subſtitit, at ſubito & denſo clangore tubarum
Percuſſus ſiluit, pérque omnem exile Senatum
Exoritur murmur, reboántque palatia longè:
Nec mora, panduntur ſublimes undique portæ,
Tum longè latéque Animarum turma coruſcans,
Solenni gravitate, atque ordine ducta decoro
Ingreditur, complétque locum: turma exhibet illos,
Qui (gliſcente acie civili) habuêre beatum
Pro patriâ, pro Rege mori, qui poplite flexo,
Intenſáque manu Noſtro omnia fauſta precantur:
Illos non longè inſequitur gravis ordo Togatûm,
Qui ſtrictis calamis, denſóque volumine bellum
Moverunt, ſummáque animi patientiâ: at omnes
Avocat extemplò mentéſque oculóſque refulgens
Inſolitus nitor extremâ de parte Theatri;
Martyris agnoſco vultum, patriæque Parentem:
CAROLUS Ipſe fuit ſacrato hoc nomine Primus
Cum Conſorte pia; cui jam redière Venuſtas
Oris, & antiquus mentis Vigor: Optimus Heros
Ad primùm aſpectos devolvitur, omnia fauſta
Pronus & omnia læta precatus, & oſcula denſa
In genua, ínque manus venerans defigit; at Illud
Nobile Par pronum attollunt, atque oſcula reddunt:
Tum Sanctus Martyr vultúque, animóque ſereno,
Amplexúſque Ducem, poſt ſacratiſſima, dixit,
Vota peracta Deo, Tibi Nos —— hæc prima Beatus

Consequitur tantus, toto plaudente Senatu,
Ut mentem reliquis haud possem advertere, & ô me
Oppressum penitùs tanti splendore Theatri!

Mich. Stanford, C.C.S.

MAgnanimum Heroem, & sêclis memorabile Nomen
Dicere jam mihi fert animus, stragésque potentûm,
Hoc Mavorte, datas. Age dic queis, Musa, triumphis
Arma virúmque canam, cœlo quem fata vocârunt
Emeritum cursu emenso, saturúmque dierum:
Scilicet hæc hominum sors est, hæc dura Potentes
Fata manent; sic magna ruunt, sic Numina rebus
Crescendi posuêre modum: Tibi terminus ævi
Hinc jam ritè datus, quando nil restitit ultrà,
Herculeas postquam famæ, Dux Magne, columnas
Contigeras; nam nec reliquo Tu clarior orbi,
Nec poteras vixisse tuis illustrior, Heros
Invicte, aut plures oculis lustrâsse triumphos.
Et tamen hoc tristem solabitur Anglia casum
Infelix, quòd Tu nullo superatus ab hoste
Occumbis; Batavorum acies, fera prælia Martis
In caput hoc potuêre nihil; sed ferreus ordo
Fatalisque dies tantâ jam morte triumphat.
Quid mihi Pellæum juvenem, quid Græcia mendax
Amphitryoniadem, geminos qui contudit angues?
Quid veterum monumenta Ducum, grandæva Vetustas,
Objicis, & victas dissectis mœnibus arces?

Hic

Hîc major ſe prodit honos, quando acer in arma
GEORGIUS ivit ovans, famámq; extendere factis
Diſcupiens, nullos firmatâ mente labores,
Excubias, curáſque, & duri tædia Belli,
Nulla minax vitæ diſcrimina ſæva refugit:
Teſtis erit Batavus; denſis concurritur armis;
Jam videas noſtros, jam rurſum vincere Belgas,
Eſtque anceps fortuna diu, victricia donec
Arma fuêre Ducis, laceráſque per æquora puppes
Occupat, & cæſo tandem Rectore triumphat.
Denique,& hoc laudum caput eſt cumulúſq; Tuarum,
Auſpiciis, Dux Magne, Tuis gratamur ovantes
Felicem CAROLO Reditum; hoc decorata trophæo
Anglia læta Tuum recinet per ſecula Nomen,
Commeritóſque Tibi æternùm perſolvet honores.

Sam. Rawling, Coll. Magd.

LIbertatis amans patriæ, petis æthera, Dive,
Quò poſſis aûrâ liberiore frui?
Pro patriâ potuiſſe mori quàm dulce! negârunt
Forſan hoc aſtra Tibi; ſed voluiſſe pium eſt.
Expiras Cathedrâ Dictator; hydropicus extas
Altera fortunis inſula nota ſuis.
Phœbo freta ſuo Delos ſic eminet undis,
Quod poſſit fluctus nec decumanus habet.
Armata approperat Pallas celebrare triumphos;
Ut volat ad tumulum turba novena tuum!
Vim Martis quoties luſiſti fortiùs inſtans,
Æquorei quoties irrita tela Dei?

Æmu-

Æmulus Ipse ipsum vincis, vinci sque cadendo;
Victis nec poteras succubuisse Deis.

Geo. Modd, Trin. Coll. Soc.

CEdite purpurei radiantia sidera cœli;
Hospiti, & Heroi, sponte parate locum.
Quod per iter Superûm scandêrunt limina quondam
Bacchus & *Alcides*, magna propago Jovis;
Dux animi celsus, pede fausto, trivit eandem
Ritè viam, tertæ monstra superba domans.
Ingemuit variis vastata *Britannia* monstris;
Seps, & Aper pressit te, generose Leo.
Sic Deus ingratæ gentis delicta pianda
Censuit, ut canibus præda lupísque foret
Rex grege cum toto, tunc Sus Calydonius agros
Involat; & miserè terra subacta jacet.
Mox Stygiis undis emergit lurida serpens,
E multo fundens ore venena nigra.
Hoc virus tenebris obduxit lumina regni,
Depascens tacitè viscera peste gravi.
Nullam cernit opem, nec spem gens concipit ægra,
Imperium dum fraus ambitióque *rotant*.
Tandem advenisti, Dux Alme, salutifer orbi,
Auspiciis cœli missus, & auctus ope.
Tu belli fulmen fueras; in gaudia verso
Horrore, arma citò nuncia pacis erant.
Expers consilii cecidit vis sæva Gigantum,
Ausi qui fuerant arma movere Jovi.

Inferni

Inferni Furias MONCHI prudentia vicit;
Hâc Duce Rex rediit, Relligióque simul.
Multiplicem belli civilis contudit Hydram
Indomitis armis, consilióque pari.
Floreat æternùm, paci sine sanguine partæ,
Laurea par, nullo tincta cruore, Ducis.
Lilia mixta rosis Ducis urnæ, & perpetuum ver,
Debita sunt, cujus pax revirescit ope.
Pax non sola redît: rediit Pietásque Fidésque;
Musarum & Charitum venit amœna cohors.
Hæ maneant, vigeant, æternâ morte sepultis
Monstris, dum radii Solis & astra micant.

Thomas Gataker, Aul. Clare.

QUantos, Summe Ducum, Tibi planctus Anglia debet
Defuncto, Vivus cui gaudia tanta tulisti?
Non lacrymas, qui Te flet verè, fundit ocellos;
Sanguineas saltem guttas Tua busta reposcunt,
Qui Patrios hostes fudisti, sanguine salvo.
Funeris ad Vestri splendorem Sidera, Tellus
Et Mare conspirant: mœstam [a] nova lumina Cœli
Scenam collustrant, tanquam funalia; lucem
Præbent, ut liquidò pateat Tibi in æthera cursus.
Læta negat Tellus, MONKO moriente, videri;
Hinc, quibus ornata est, ea vestes rejicit [b] albas,
Induit & pullos (ut debet mœsta) colores.
In lacrymas constricta gelu sese unda resolvit,
Altisono Nereus meritò Te Murmure plorat,
Pinguia cui fusè cumulâsti pabula, carnes

[a] *In hujus mortis articulo tres Soles apparebant.*

[b] *Eodem tempore nix & gelu solvebantur.*

Belgarum,

Belgarum, potúmque dedit Tua dextra cruorem.
Ipſe ſecundus eris, ſed Major, Maxime GEORGI,
Anglorum Divus, de Te majora canenda:
Ille prior fertur vitâ mulctâſſe Draconem;
At magìs horrendum virtus, Dux, veſtra ſubegit
Monſtrum; cui caput eſt, ideo quoq; lumen ademptum;
Atq; quod accendit furiis fanaticus ardor,
Hoc rabidum domuit *Moncëi* nominis horror.
GEORGIUS Angliacos Myſtas, & Templa redemit
Horrificis Monſtri peritura in faucibus atri.
Suſtulit Hic Patriæ Patrem fanatico ab igne,
Ut pius Æneas: hinc poſcat culmen Olympi,
Et famæ; eſt CAROLUS, MONKO Duce, ritè Secundus.

O. Brokesby, A. B. *T. C.*

HEu! atra quantum mors rapuit Virum!
Heröa cœlo haud tam citò debitum!
Æternitate Heröa dignum! at
Nil, mala, Te, Libitina, vitat.
O, Angliæ lux, & dolor, & decus,
Quæ te celebret Clio? ego grandia
Cantare non unquam tropæa,
Tótve Tuos potero triumphos.
Infelix at heu noſtra Britannia,
Orbata tanto militiæ Duce!
Quis nunc Iberos? aut domabit
Scotigenas malè pervicaces?
Gallos vel ipſos impete fervidos,
Per cuncta terrarum minitantibus

Alis

THRENODIA.

Alis volantes? Quíſve Belgas,
Tam cupidos freta ſubjugandi?
Quis jam labantes conſilio Patres
Firmabit autor? cæde domeſticâ
Turbam aut coërcebit furentem,
Et rabiem populi rebellem?
At Terra tantum cùm haud capiat Virum,
Sedes beatas I pete Cœlitum;
Ubi & perennem, ſerò at illam,
Dent Superi CAROLO coronam.

Bowyer, Aul. Pemb.

De Clariſſimo Duce ALBÆMARLÆ *in Cathedra moriente.*

AMphitryoniades, cùm ſenſit ſerpere virus
Per venas Centauræum, moriturus in ignes
Irruit Oetæos, cunctantia fata manere,
Atque amittendam ſpernens producere vitam.
In fato extremo Tu, Veſpaſiane, ſtetiſti;
Et verba imperio Romano digna locutus;
Ambo expirârunt genuini ut Martis alumni;
Ambo doctiloquæ meruêre encomia Muſæ.
Æquavit veſtras, & Roma, & Græcia, laudes
MONCKIUS, indigno meritis hydrope peremptus.
Illum expirantem Cathedrâ vidêre propinqui,
Non molli in lecto, aut ſtimulante dolore querelas,
Crudeles Divi! crudelia Fata! querentem.
Sic egit morte in media de morte triumphum;

Vivit & Antæo felicior Ille cadendo.
Multa sibi erexit priscâ virtute trophæa;
At facto extremo cœlos meruisse videtur.
Mortuus Alcidæ loca juncta tenebit in astris,
Qui plùs quàm Alcides, sibi fata minantia sprevit;
Ni Superûm sedes Astræa reliquerit astra.
Quem non permittit stantem violentior hydrops,
Induperatorem decet expirare sedentem.

Joh. Parker, Coll. Eman.

ANglia vix lacrymas mœstis siccârat ocellis,
Queîs flevit Funus, Diva MARIA, Tuum;
Cùm, quasi nec minimam permittant Fata quietem,
En novus usque dolor, luctus & usque novus!
Quem tandem lacrymis finem expectemus amaris,
Anglia, natura est cùm modò flere tibi?
A reliquo rapuisse solo te dicitur æquor,
Gallia quà spectat te malefida Soror;
Jam si fluctivagas pontus tibi subtrahet undas,
Insula sis lacrymis, Terra *Britanna*, tuis.
Jam totos meritò lacrymarum fundito rivos,
Usque quidem plores *Anglia*, & usque gemas.
Occidit Ille decus *Britonum* & tutela; dolori
Parcite, si nomen non recitare queam.
Qui cùm, quicquid honos jussit, perfecerat, aut quod
Et Patriæ & Regis relligiosus amor;
Cùm Regem regno, regnum Regíque dedisset,
Atque redonâsset, CAROLE, sceptra Tibi;
Téque Tuis terris regnantem linquit, & Astra,
Alma ubi Sceptra tenet CAROLUS alter, adit:

Et

Et ſolium Nato cùm reddidit, Aſtra petivit;
Sic CAROLUM in ſolio vidit utrumque ſuo.
Quantus amor CAROLI! dum Te, pie *Martyr*, in Aſtris
Quærit, ut in terris, Rex pie, Te coluit.
Quem ſimul ac Cœlis aſpexit Diva MARIA,
Alloquitur CAROLUM ſponſa beata ſuum.
Ecce Virum! ſolus qui tanto in turbine rerum,
Quo nuper quaſſa eſt *Anglia*, Chare, tua;
Et Patriæ & Regis tanto flagravit amore,
Cujus & in tantis reſtitit uſque fides.
Ecce Virum! Patriæ Decus & Tutamen, & Ipſe
Servavit mirâ qui tria Regna Fide.
Ecce Virum! CAROLO populum, CAROLUMq; popello
Qui dedit, hunc ipſum reſpice, Chare, Virum.
Dixit, at amplexus venientem CAROLUS Ipſe,
Cœleſti ad dextram ſede locavit Eum.
Quanta jacent pulchro ſub nomine ſenſa, *Georgî*!
Et quàm læta ferax omina Nomen habes!
Nam dum Patronum noſtri voluêre ſub iſto
Nomine Majores, Terra Britanna, Tibi,
Numinis indicio factum hocce videtur, & iſta
Inſpirâſſe aliquem præſcia vota Deum.
Quàm gratum hoc *Nomen*, quàm *Tutelare Britannis*!
Ex quo ſumma ſalus, Anglia, nata tibi eſt.
Quod de *Cappadocum* Divo dubitatur, id ipſum
Competit & verè, *Dive* beate, Tibi.
Anglia *Virgo* erat in prædam ceſſura *Draconi*
Regia, & ipſe *Draco Pſeudo-Senatus* erat.
Fabula in Hiſtoriam converſa eſt; Regia per Te
Virgo fugit Mortem jam peritura ſuam.
Fabulâque Hiſtorias nè fortè excedat, ab enſe
Occidit ipſe *Draco*, *Dive* beate, Tuo.

Dive vale, Cœlúmque tene, sed & usque *Britannis*
Vivas, nam tanta est nescia Fama moti.

Tho. Newcomen, Coll. Stⁱ Pet.

TUne igitur, Dux magne, jaces? tua vivida bello
Dextera, lethali frigore victa riget?
Fræna manu, digitísque remissis excidit ensis:
Et Te captivum nunc Libitina tenet.
Quod vis nulla virûm potuit, neque fulmina belli,
Hoc de Te laudis morbus acerbus habet.
Sed neque sic vicit. Nam quamvis spicula mortis
Confixêre hominem, non tetigêre Ducem.
Venisti è bello victor: bellísque fugatis,
Pulchrior auspiciis pax quoque facta Tuis.
Vivis adhuc, meritísque Tuis in secula vives,
Insignis patriæ luctus honórque Tuæ.
Ut taceam varios terráque marique triumphos,
Dum tuus in Scotos Mars, Batavósque furit:
Illa dies æterna Tuos celebrabit honores,
Quæ Regem reducem, Te Duce, læta dedit.

Tho. Goad, Coll. Regal.

CEcidit. Nihílne ergò diutinum, nihil
Fatis inaccessum diu mortalium
Hâc sede mundi sempiternus Arbiter
Esse voluit? nec culmini nec columini
Britanniæ rerum parùm parci potest?

Quinimmo

Quinimmo quò quis evolavit altiùs
Clariſve factis eſt polo vicinior,
Citiùs eò corripitur, & maturior
Aſcribitur cœlo? ergò convitiabimur
Voce ſtolidâ morti, furoréque perciti
Falcem ſeni duro ſtatim extorquebimus?
Exequitur hæc ſolùm Supremi Numinis
Æquiſſima juſſa: tanta virtus debita
Cœlis fuit ſemper: meritis nec uſpiam
Ingentibus terrâ invenire præmium
Par poſſumus. Quid memorem ego victorias
Tot inclytas terrâ maríque, tot fugas
Hominum, cruentáſque indè cædes, claſſium
Tot editas ſtrages, & haud uni Deo
Audita nomina, pluribúſque gentibus
Meritò reformidata, dilecta & ſimul;
Prælia ſuâ virtute, conſilio ſuo
Felicia? olim te Caledonia juga, &
Fallente veſtigium palude Hibernia,
Quem hoſtem trucem bello priùs contremuerant,
Tulêre mox facilem, benignúmque Dominum
Coluêre. Non Belga ipſe nunc Tibi Tua
Præconia invidebit: hunc illi ſemel
Iterúmque, non viribus ſed animis impares,
Non ſuſtulêre Ducem; ſed & victi ſuis
Exhorruerunt imminentem portubus.
Victóque, ſi Diis placet, potiſſimùm
Invictus animus: caſibúsque cedere
Nullis ſueta mentis irato impetu
Emicuit audacia. Decora belli hæc erant.
At non ego laudes libens conquirerem
Mortalium ſorte heu nimis lacrymabili.

Quin & minuta hæc sunt, & omnibus retro
Cantata seculis satis. Jam illud legat
Stupeátque posteritas aperto Numinis
Vestigio, æternóque dignum carmine.
En scelere rapti triplicis diadematis,
Sanctóque sanguine occupati vindicem
Solii! en Virum qui primum Dominum suum
Ubique populo quæritanti reddidit,
Volvente consilia profundo pectore!
Et quo nihil fide aberit olim longiùs,
Non Martis aleâ, nec integrâ priùs
Belli cruenti mole disjectâ undique.
Nullóque sanguine conficit tot prælia;
Hostémque callidum, & diu certamine
Doctum, tot elatum triumphis, & ferum
Successibus tot militem, atque nescium
Vinci sine ullâ cæde solus perdomat.
Magnus quidem hìc, sed major inviolabilis
Fidei satìs nunquam cumulandâ gloriâ.
Cujus nec prosperum scelus, nec numinis
Simulata gratia dimovebat pectora
Incocta honesto: nec malis onusta sors
Virtutis æquíque propè neglecti Deo:
Nec spes satìs tum blanda, verùm crimine,
Sceptrum tenendi: non simul cuncta intimis
Fixam fidem præcordiis evulserint.
O arte nullâ unquam temeranda pectora
Majora sceptris imperI victricia!
Tantis patratis rebus & superbia
Longè abfuit, molesta virtutum comes.
Lenísque civem agebat antiquam colens
Semper fidem; nec, quod frequens est, turgido

Fastu

Faſtu repletus ſprevit unquam ſibi parem;
Minoráve meritis putavit omnia.
Hæc nos putamus ſatis inani carmine
Futire? Quantulus honor! Olim vultibus
Incus gemet Tuis, graviſque mallei
Te ictu tonante anhelus extundet faber;
Diſcent quoque juvenes Tua ora ducere,
Modúmque membrorum; lucelliſque artifex
Suum hoſpitem procabit effigie Tuâ.
Quin & ſinus molles fovebunt, niveáque
Brachiola ſæpe jactitabunt invicem
Tuam figuram, auróque gemmæque inditam.
Monumentum ubique famæ ſic erit tuæ.
At Ipſe tandem, Magne Dux, dignam cape
Te, Invicte, ſedem, cedere & jube Herculem;
Sumptóque curru *Carolino*, cœlitum
Comitante turbâ, jam triumphum æternum agas.
Nos interim noſtris pueris narrabimus
(Idémque ſeris linquimus nepotibus)
Facinora Tua non ſimplici loquentia
Cerâ: nec hiſtoriam tacebimus Tuam.

G. Bright, Coll. Eman. S. T. B.

ואני מקונן הקינה הזאת
על חנניה המופלא והגבור
גאורגיוס מונק

ישאו קולם כל העמים
כל עינים יבכו ימים
כי שר אבר מארצנו
רכב הוא גם פרשיו
נפל נאמן עמונו
נחשך חלק גם שמשנו
איום היה במלחמה
עוז הפליא לעשות באמונה
נתן לנו הוא מלכנו
מתן למלך לבנו
אב העם גם אב המלך
אב כלנו על מה חלך
מניח בארץ חיים
עתה מנוח בשמים

Idem.

ANAGRAMMA.

GEORGIUS MONK DUX *Mavortius* Albamarlensis.

Exurgam (si mortuus) Miles albâ Coronâ Dignus.

POst varios casus, post tot discrimina belli,
Si Me funestâ *Mors* rapit atra manu,
Militis exurgam præclari munere *dignus*;
Servatur Cœlis *alba Corona* Mihi.

Da. Fenner, S. T. B. *Coll. Sid. Soc.*

THRENODIA.

O Quàm dulce ſonat nomen tam grande *Georgi*!
Ferro qui Aurea ſêcla reduxit.
Qui Batavos ictu repetito ſæpe fugavit,
Nè ſemel unâ ſtrage perirent.
Belgarum Angliacos jaculatus puppibus ignes:
Nautis ecce Pharum metuendum!
Qui turmas equitum proſtravit fortibus armis
Hoſtiles, peditúmque phalangas.
Quíque domi eluſit furias, fregítque rebelles
Conſiliis & mente ſagaci.
His adeò evictis, egit ſine clade triumphos,
(Quod teſtes vix credimus ipſi)
Scilicet & pulſam pacis revocavit olivam,
Abſque tremendi fulmine belli.
Purpura non CAROLO placuiſſet tincta cruore,
Nec dibaphum ſic cædibus oſtrum.
Noluit ergò inter tumulos MONCÆUS ovare,
Et palmam odit ſanguine partam.
Nec fato oblatum voluit ſibi ſumere regnum,
Neu Solium rapere hiſce triumphis.
Haud ſibi ſed Regi vicit Dux inclytus, Uni
Et CAROLO hæc erecta trophæa.
Quando igitur mundus Tantis virtutibus impar,
Nec tali terra hoſpite digna eſt.
Armáque Vírque petunt cœlum, & ſuper æthera ſcandunt,
Dii capiunt, quod terruit orbem.
Arma Ducis cœlum ſpectant, ſuſpenſa columnis,
Ut monumenta perennia laudis.
Quàm meritò Regum Hic in Mauſolæa receptus,
Per quem Rex in Regna reductus!

Quàm meritò amiſſum Magnum hunc Heroa Britanni
Flens populi, flendi magis ipſi!

Ro. Lowe, A.M. Aul. Clar. Soc.

TRiſtitiæ (heu!) nimias dant cauſas Fata, dolendi,
Quod magis injuſtum eſt, tempora juſta negant.
Quis ſuffecturas iterata in vulnera vires?
Det finem ærumnis quæve medela novis?
Occidit ipſa ſalus: fatum crudele quietem,
Quæque ducis dederat gaudia vita, rapit.
Ecce per æthereas volitat felicior auras,
Mirando cinctus fidere & aſtra petit.
Agnoſcit CAROLUS, radio hunc redimitus in ulnas
Urget, ſic ſummos alloquiturque Deos.
En rediviva piis micat, Illo vindice, flammis,
Quæ fuerat propriis ara ſepulta rogis;
Manibus infernis devotaque templa, fatentur
Et noſtra auſpicium naufraga regna ſuum.
Nec minùs Illiùs quàm veſtro numine, ſceptra
Fatis acta malis noſtra propago tenet.
Quos ſis aucturus, Te Dii, Priamúſque laréſque,
Tutorem agnoſcit quælibet ara ſuum.
Præmia jam dederint pacis Tibi Fata beatæ,
Quam quondam miſeris fortior ipſe dabas.

Rich. Martin, A. B.
Coll. Regal. Soc.

Noviſſima

Noviſsima verba DUCIS *ad Filium.*

SOſpes, Nate, vides, Rex eſt, Eccleſia ſalva,
Victi hoſtes, & Gens pace beata viget:
Sedibus in propriis conſcriptum cerne Senatum;
Ordinibus cunctis integra jura manent:
Jus Clero redit, & ſua priſtina gloria Regno;
Státque iterum vires Curia nacta ſuas.
Auxilia en robuſta foris, ſocióſque fideles!
En validas acies, armáque firma domi!
Floret adhuc ſalvis Trinobantum gloria muris,
Sunt intra portas omnia tuta ſuas;
Exuvias poſuit Phœnix Auguſta reſurgens,
Urbs facie antiquâ, vel meliore, nitens.
At ſi quid feci, quòd ſic me Magnus amaret
CAROLUS, aut Genti commoda fortè tuli,
Síque ego vel bello, vel pace quid utile geſſi,
Mi Fili, Patrem tute imitare tuum:
Relligio inprimis tibi ſit, chariſſime, curæ;
Eriget hæc animum, te moriente, tuum.
At, mi Nate, Novatores, qui Schiſmatis arte
Sic pollent, cane tu pejus & angue cave:
Poſt Numen, quodcunq; tuum eſt Regi (Optime) debes:
Illæsâ Hunc igitur tu pietate colas:
Devotam & mentem, ſemper fidiſſimus, Illi,
Fortunámque habeas: téq; ità Numen amet.

Nath. Smyth, C. Jeſu Socius.

Dic Heros, dic Alme Parens, quo thure placebit
Funesto tua busta coli, quo lumina ritu
Fata fleant, vel jam lacrymis saltem annue nostris,
Et nimis ignaros nè dedignere dolores.
O Patriæ tutela tuæ! quo sospite, mansit
Inconcussa salus, atque intemeratus ubique
Imperii fulgebat honos; Te bella gerente
Externos risit Brittannia tuta furores,
Victoríque suo cessit fortuna, dedêre
Belga Scotúsque manus; vincentem sensit Iernus,
Et superimpositis gemuisti, Europa, tropæis.
Sed quid parva loquor? fudit sine cæde rebelles,
Congessítque novos vel summa in pace triumphos.
Ad magni Ducis adventum Lambertia retro
Agmina cesserunt, gelidúsque per atra cucurrit
Castra pavor; dubii terrent phantasmata fati,
Et fugit à solo tremefactus nomine miles.
His volat ad CAROLUM gradibus, & pulvere longo
Squalidus, Herculeos usque exantlare labores
Pergit; continuo & virtus animosa tenore
Conficit immanem repetitis ictibus Hydram.
Impiger ad metam tendit, vix lumina somno
Mulcet, & ingentes vetat obdormiscere curas,
Dum beat infaustas *Carolino* sidere terras.
Qualis erat, quanta illa dies, cùm tota repentè
Convolat ad pelagus, *Rutupináque* littora Regem
Plebs avidè excéptura suum? quæ gaudia gentis?
Qui strepitus plausúsque sonant? velut ipse creparet
Axis, & antiquus rimas egisset Olympus,
Et fera per totum reboarent fulmina cœlum.
Quos Augusta arcus, & quæ tibi pegmata, Cæsar,
Constituit? cùm tu rutilo stipatus ab orbe,

Intrares

Intrares lætam populis plaudentibus urbem.
Regnat ubique nitor, veneranda triumphat in omni
Forma decúſque loco, totum eſt quodcunq; videmus
Magnificum, ſublime, ingens; ibi conſcius ipſi
Imbellis radii ſubtraxit lumina Phœbus,
Æmulus & multo deſcendit Jupiter imbre.
Hoc omne eſt, Dux magne, tuum; tibi laurea ſoli
Palmáque victori detur, tibi ſola merenti
Civica debetur ſervato cive corona.
Heu! laſſus quâ mole premor? jam fœdere rupto
Belga iterum vincendus adeſt, jam ſæva ruinas
Dania, & infandas minitatur *Gallia* clades.
Quis Divûm jam ferret opem? quæ numina poſſent
Afflictæ genti, miſeríſque occurrere rebus?
Scilicet hic ſolo eſt Hoc dignus vindice nodus,
Digna ſuis iris victoria, digna tropæis.
Jam Jani patuêre fores, bellíque tumeſcens
Et lethi jam inſtabat hyems, jam fata volabant,
Et gravis offuſis obſorduit aura tenebris.
Evomit horribilis ſævos bombarda furores,
Diráque feralem proclamat buccina mortem.
Claſſibus adverſæ claſſes, velut urbibus urbes,
Concertant, redeunt veteris miracula Deli,
Et gemina in medio delabitur inſula ponto.
Ille animat ſtimulátque ſuos, hortatur & orat
Ut decus & patriam libertatémque revolvant,
Nec toties præclara Anglorum geſta retundat
Una dies, unúſq; hoſtis, (namque arma pavebat
Danus, & imbellem cohibebat *Gallia* claſſem)
Sic tandem veteres reficit nova gloria laurus,
Cinguntúrque novis illuſtria tempora ſertis.
Non hominum ſolùm domitor fuit, ipſa ſecures

Submiſit

Submisit Libitina suas: cùm tristis in urbem
Ingruit exitii rabies, fatíque cohortes
Armatæ densâ stipabant compita turbâ,
Hic Dictator erat, cordato à Cæsare dictus,
Qui mersо ærumnis populo solatia ferret,
Grassantíque palàm morbo curtaret habenas.
Quis credat potuisse mori? quàm nulla tuetur
Gloria? nullus honos? nulla est sat firma potestas
Supremum prohibere diem? sed cuncta per umbras
Descendunt Stygias; cunctis trux imminet hora,
Usque Acheronteas pallens petit hospes arenas,
Natáque crudelem subitò amandantur ad orcum.
En! senio natura dolet, mundíque torosum
Robur ad occiduam sensim prolabitur urnam.
Qui fuimus quondam nati ex tellure gigantes,
Jam sumus effœti quantilla animalcula sêcli!
Vincere lethales acies, & temnere funus
Virtus sola potest, animúsque per omnia grandis.
Qui patriam servat, raptósque in vincula cives
Asserit, & sævos exturbat sede tyrannos,
Hic meritò æternus, meritò immortalis haberi
Debet, & innumeris famam producere lustris.
Hæc Tua nunc, Georgi, vita est, hâc parte superstes
Spernis inexhaustas ævi fatíque ruinas.
Nominis Angliaci Divis Te mascula virtus
Addidit, & puris nitidum caput intulit astris.

Joan. Turner, Coll. Christi.

Te

THRENODIA.

TE tria Regna dolent, Te *Scotus*, *Hibernus*, & *Anglus*,
Te, qui tot tuleris, terráque maríque triumphos,
Et Tua, Magne Heros, terra & mare funera plangunt.
Jam fortè oceano attollet ſua vela *Batavus*,
Eriget aut criſtas *Gallus* dum concutit alas;
Cùm Tu undis Neptunus abes, Gradivus & armis.
At caveant lepores tumulo inſultare Leonis,
Vel cineres violare Ducis, vel lædere manes,
Magnanimi; cujus nunc Umbra vel Urna rebelles
Diſſipet, & ſervet Reges, & terreat hoſtes.

Rich. Barrington, Coll. Magd.

In obitum DUCIS *paulò poſt Chriſti Natalem.*

BIna vetat Pietàs noſtris nè Numina terris
Interſint: Nato hinc Chriſto, denaſcitur *Heros*.
Ipſe petit, *viduum* Chriſtus dum linquit, *Olympum*,
Sic ipſa his noſtris reparantur ſidera damnis.

Quem modò cæruleis Victorem viderat undis,
Inverſis luget miſeranda *Britannia* fatis:
Nunc Urna eſt puppis, lacrymæ ſunt flumina, venti
Sunt gemitus, tædæque Phari, ſed portus Olympus.

Ro. Lowde, Anl. Clar. Alumnus.

Quis

QUis modus exequiis? noſtri quæ meta doloris?
Heu gemino ſimul eſt Anglia mœſta rogo!
Impia nec modico eſt Lacheſis contenta paratu:
Temnit vulgares & Libitina dapes.
Inflixit nobis quantam mors aſpera cladem!
Occidis heu Patriæ ſpéſque decúſque Tuæ!
Te Patrem Patriæ Brittannia tota ſalutat,
Fundâſti auſpiciis qui tria regna Tuis.
Nomine dicta tuo, Arctoo ſub ſidere rupes
Jactatæ præbet littora fida rati.
Anglia ſic ſævis bellorum quaſſa procellis
Occupat en portum, Te Duce, tuta ſuum.
Templa Deo reddis, furiis violata popelli,
Et reddis noſtro Tu Diadema Jovi.
Dextrâ adeò defenſa tuâ rediviva reſurgit
Anglia, & in mediis ſalva triumphat aquis.
Nè veteris poſthac miremur facta *Georgi*;
Tempora majorem noſtra tulêre Ducem.

G. Wroth, Coll. Regal. Soc.

ERgò catenatis nec dum ſatiata ruinis
Sævit adhuc Nemeſis? miſeríſque infeſta Britannis
Nondum ſicca novo conſpergit lumina fletu?
An modò neſcio quâ regnat parte ætheris ortum
Exitiale micans ſydus? radióſque malignos
Dirigit in Reges? Auguſtâ quotquot in aula
Eximii, motâ gaudens proſternere caudâ?
Geſtiit hoc primùm ſacram violâſſe Parentem
Regis, & alternis lacrymis, pariſque dolore,
Commiſiſſe duas, miſero certamine, gentes.

Proximus

Proximus à prima deflenda en victima fatis
Monkius iratis cadit, uno funere Parcas
Infestas patriæ ut possit satiâsse videri.
Scilicet invidiâ cœli non dignior alter
Visus erat, quisquis calcaverit incola terras
Angliacas; hic noster Atlas, qui sæpe rotantem
Et dubium, & tremulum subjectis viribus orbem
Sustinuit Britonum; precor, hoc Atlante remoto,
Alcides quassis nè desit gentibus alter.
Hic tempestivus nostro surgebat Olympo
Phosphorus, Angligenis orituro prævia Soli
Lumina conspergens, sed nunc heu Phosphorus idem
Occiduus (medio dum Sol micat aureus orbe)
Disparet, luci huic quòd quondam accesserit author
Contentus, radiisque suis accenderit ignes.
Nunc nox alta tegit, cujus penetralia mentis
Intima, secessus cordis, sacrisque repletum
Consiliis pectus, divino & numinis æstu,
Nocte tegebantur quondam, & caligine densâ.
Olim qui tacitè quicquid dictaverit (æqui
Semper amans) animus, secum versare solebat
Secretum: clauso qui corde, & mente sagaci,
Sola laborantis quæ sanent vulnera regni,
Consilia extruxit, nulli malè credita linguæ:
(Tanquam arcana Deæ, Siculis quæ præsidet arvis)
Concedit fato moriens, intérque silentes
Consilii linguæque expers numerum obtinet umbras.
Quid Te conspicuum memorem, Dux inclyte, claris
Cinctum armis, dextrâ gladium, lævâque regentem
Colla frementis equi, veterano & milite plenæ
Dexteritate pari moderantem fræna Phalangis?
Pulvere, sanguineisque notis, & sorde decorus,

Dum carpis quales meruit victoria laurus.
Quid Te? lassatis dum cessant arma Britannis
Consilio compôsta Tuo? dum cuncta quiescunt,
Nec consanguineis certatur cominùs armis,
Martia pacificam comitatur laurus olivam.
Æquoreum taceo Martem, cùm fata volebant
Anglica Belgarum concurrere carbasa velis.
Auspiciis ut facta Tuis freta pervia nautis,
Præmia navalis dederit Tibi grata coronæ.
Te laudare piget: Si quem præconia vatum
Concelebrent, dignum qui serior intret Olympum,
Augent invidiam superûm, proprióque dolores.
Quantò Tu meritus majora encomia, GEORGI,
Vivus adhuc, omnes tantò graviora cadentis
Damna ferunt, tantóque magis lugendus obîsti.
Olim quæ Martem solita est accendere cantu
Lætifico, atque alacres animare in bella cohortes,
Buccina surda gemit; gelidum ciet ipsa dolorem,
Ferales induta modos, tuba rauca Britannis;
Tympana (quæ quondam sonitu majore solebant
Vincere Stentoreos morientis in agmine planctus)
Funere pulla Tuo, nigro & velamine cincta,
Submissos edunt, populo plangente, susurros;
Nec superare valent mœsti suspiria vulgi.
Olim quæ tortis sinuata per æthera gyris
Luserunt ventis, semper victricia signa,
Jam Tecum resupina jacent, crebríque volucris
Hærent hastili non ampliùs ausa videri:
Angliaci Scoticíque gemunt Tua fata Leones,
Et lugubre sonat fidibus temerata remissis
Te chelys, armifero quam gestat Hibernia scuto.
Amissum dum flent omnes, dum totus ademptum

Orbis

THRENODIA.

Orbis Te plangit, dum compita ſquallida luctu
Ornari renuunt, quæ dira ſilentia complent:
Perverſa interea fanatica turba triumphat,
Intempeſtivas ducens de morte choreas.
Nempe Tuo CAROLO Te tutelare putabant
Numen, & incaſsùm cunctas, Te ſoſpite, Regi
Se ſtruere inſidias; ultro ſed fata dedêre
Conſiliis poterant quæ non ſperare rebelles.
Laomedontæâ ſic dum ſervatur in arce
Palladis effigies veneranda, urbémque tuetur:
Argolicas ridet claſſes ſecura juventus
Trojana, Iliacæ capiunt ſolatia matres
Prælia ſpectando, tutæ de mœnibus urbis:
Sed Diomedeæ virtutis præmia, necnon
Fraudis Ulyſſeæ, cùm ſit fatalis imago:
En collapſa ruunt ſubductis tecta columnis
Dardaniæ everſa eſt atque urbs fundamine toto.
Mitior avertat Deus Anglis urbibus omen!
Vulnera namque magis multò crudelia genti
Infligis patriæ moriens, quàm ſenſerat olim
Obſtiterat quicunque Tuis miſer enſibus hoſtis.
Non tot fudiſti, Dux invictiſſime, vivus
Sanguinis horrendos latices, gelidíque cruoris
Rivos; quot fluctus lacrymarum inducis ocellis
Omnibus extinctus; quæ tanto flumine mœſtis
Prorumpunt, ut perpetuo de fonte putentur
Emanare novo, modò quem natura creavit
Conſultò, in noſtros nè deſint pabula luctus.
Scilicet exaret tot quondam parta triumphis
Laurea, funereæque locum contenta cupreſſo
Concedens, tacitis infauſta dat omina flammis.
Parcite ſacrati Manes, ſi noſtræ & Athenæ

Addant serpentes hederas, humilique racemo
Pellere conentur funestæ frigora taxi,
Quæ malè vicinam tumulis expotrigit umbram.
Non Tua nos ornare putamus funera cantu,
Te tribuente decus petimus: Tua numina nostros
Inspirant calamos; tenues modò fundere vates
Invitis sese mirantur carmina Musæ.
Fortia Mæonio sua debet Pelias hasta
Vati, qui si non celebrem cecinisset in armis,
Ignotus nobis forsan periisset Achilles,
Virgilióque Anchisiades encomia debet.
Sed Tibi debemus (qui sunt) Dux inclyte, versus;
Materiâ superatur opus, qui sæpe parantem
Dicere plura dolor cohibet, quique ipse vocatur
Ingenii res plena, idem, (si credere fas est)
Monkie, Te moriente hujus farrago libelli est.
Sic penè extinctum dum proles Parthica parrem
Aspicit, ignavæ citiùs retinacula linguæ
Solvit, & insuetas vomit insciis ore querelas.
Tu mutos in verba animas, sed dispare fato:
Quàm vellem in vitam Te sic revocare liceret.

Gualterus Neale, A. B. *T. C.*

Omnia in integrum cùm restituisset, avitas
Dux leges, Anglis priscáque jura suis:
Postquam Rex Solio, Pax Regno, Templa Deóque
Reddita, Sat vixi, dixit, & occubuit.

L. Warner, Coll. Magd. Commensalis.

Jam

THRENODIA.

JAm nova Regales quatiunt lamenta tiaras,
Jamq; iterum in luctu eſt Helicon, nova vulnera Pindus
Deflet, & irrorant lacrymatæ Phocida lymphæ:
Exequias, Regina, tuas vix flevimus, inſtat
Quando novum funus, ferali & carmine leſſus
Rurſus Melpomene dictat, mœſtáſque cupreſſos
Atria, funereas adoléntque palatia taxos.
Occidit Illuſtris, terrarum gloria, MONCUS,
Fœcundo Natura ſinu quem duxit in auras,
Ut fœdam Enceladi rabiem, ſeu Marte rebelles
Excuteret domitos caſtris, juſtóque ſuorum
Aſſereret ſolio Regem: non amne cruoris
Albionis fœdavit agros, nec prælia campi
Spirabant; latam ſed cinxit laurea frontem
Martis, & alma ſimul decoravit adorea pacis.
Imperio viduata ſuo cùm Regna beâſti,
Et CAROLO reduci volitârunt vota per urbes,
Omnes quàm dulci libârunt gaudia vultu?
Compita porticibus lætis laqueata nitebant,
Atque triumphales, per quos Rex vaderet, arcus
Erêxti; non ſic Pharii Regina Canopi
Auſonios in tecta Duces Cleopatra recepit:
Illa ſalus per Te populis inopina refulſit.
Cur nunc Elyſii campi deſcendis ad umbras?
Cur Neſtor? cur Tiphys abis? cur cymba procellis
Deſeritur rerum tumidis, Palinure? feroces
Portendunt terris Superi quæ fata? dolore
Fortiùs opprimitur magis en quò nobile pectus;
Majeſtas trabeæque gemunt, & triſtibus Oſtrum
Roratur maculis, CAROLUS regalibus urnam
Conſpergit lacrymis, Patroclum ità luxit Achilles.

Antonius Spinedge, Coll. Feſu.

Cùm

CUm procul à Septem splendens auriga trione
Hæserat in signo Sol, Capricorne, tuo,
Æternum frigus Boreæ decus occupat, ardens
Regis amore sui, proh dolor! obriguit.
Esse potest nemo lactymarum prodigus, Heros
Pro patriâ vitæ prodigus occubuit.
Millibus objecit pro nobis fida periclis
Pectora bellipotens, indomitúsque senex.
Submisit Batavus nostris aplustre carinis.
Vile caput tenebris Presbyter occuluit.
Cimmeriæ procul hinc jam diffugêre tenebræ;
Et clarum CAROLI vidimus ecce jubar!
His ope, MONCHE, Tuâ fruimur; tamen esse beatos
Non finis ulteriùs, dum Tua busta petis.

Tho. Bonham, A. B. *Coll. Regal. Soc.*

AH tandem miseri flemus Tua fata, GEORGI!
Ergò habeat noster libera fræna dolor.
Prosiliant lacrymæ; siccis quicunque videtur,
Exulet, & patriam deserat ille, genis.
Temperat à luctu si quis Fanaticus excors,
Quò non exequias hasce profanet, eat.
Luctibus unanimis dum tota Britannia fiat,
Digna feres meritis funera, MONCHE, Tuis.
Scripta tepent lacrymis; & arantis verba madescens,
Atramenta quidem nostra, papyre, bibis.
Emeriti ergò Ducis melius præconia cantat,
Qui minùs hoc damnum flere poeta valet.

Idem.

Dic

Dic mihi, Muſa, Virum, patriæ qui primus aſylum
Præbuit afflictæ, poſtquam jam turba rebellis
In Chaos horrendum confuderat omnia demens:
Tum verò (infandum!) regni compage ſolutâ
Pulſa fides, pietáſque, & pax, & priſtina jura:
Necdum ceſſavit rabies veſana popelli,
Donec (quàm horreſco referens!) & ſanguine Regis
Proh ſcelus! heu! ſacro maculâſſent ſanguine terras;
Unus Martyr erat tum CAROLUS, alter & Exul.
Hæc rerum facies (*facies* modò ſi fuit ulla,
Quando *Caput* nullum) leges cùm MONCUS avitas
Angligenis, CAROLUM & regno, Regíque Coronam
Reddidit: in Cœlo hinc meruit diademate cingi.

Gervas. Scrope, Equitis Balnei filius,
Coll. Magd. Commenſ.

POſtquam hîc in toto tot prælia geſſerat orbe,
Martéque Dux tulerat tanta trophæa ſuo:
Juſſus abit vexilla ſequi cœleſtia, ſítque
Signifer Angelici ſub *Michaele* Chori.
Nimirum victo eſt inſignis uterque Dracone,
Noſter hic in terris, alter & ille polo.
Terreſtrem CAROLO qui reddidit Ipſe Coronam,
Quàm meritò in cœlis huic Diadema datur?
Quod reſtat, fama orbem implet, parvóq; ſepulcro
Quàm Magni Heröis molliter oſſa cubant.
At tibi par tumulus ſi, Dux Invicte, daretur,
Haud caperet cineres Anglia tota Tuos.

Ludovic. Maidwell, Coll. Divi Johan.

Non

NOn decet exequias Armorum & funera Tanti
Heroïs gemitum & lacrymas Elegeïa fundens:
Militis immortale decus, nomenque tremendum,
Et rigidi Manes poscunt, queîs, Carmina, vates
Arma virósque canunt, quæque olim Bella placebant;
Necdum agnosco Tuos, Fatum crudele, Triumphos,
Victricésve manus: nec postera fama loquetur
Nostrum unquam cecidisse Ducem; Quem sæpe petitum
Improba Mors potuit nec in ipsa sternere morte;
Æternùm & stabit, steterit modò Numine læto
Anglica gens, & floruerint Brittannica Sceptra.

Nec tibi marmoreos vultus, fusóve metallo
Membra damus; duri peritura est gloria saxi:
Hæ Tibi erunt laudes, Dux Maxime, Cæsaris olim
Exulis, & patriæ tristes reparâsse ruinas.
Et cùm gesta virûm post sæcula longa Britannûm,
Venturum ad populum referent, & nomina fasti,
Historia, & virtus, inter miracula Gentis,
Tunc tua dicetur: divinâ ut Numinis arte
Auspiciísque tuis, multo quod sanguine fruſtrà
Constiterat, tulit hoc albis Victoria pennis.
Hæc famam titulósque dabunt, quæ nulla vetustas
Obruet, & seris monumenta nepotibus, omni
Pyramidum pompâ & fixis majora trophæis.

Hactenus in Terris: Quanti inter Sidera honores
Vix nostrum est audere loqui: Stant ordine longo
Antiqui Heroës, sic fas est credere, tanti
Adventum expectando Ducis; cùm limine primo
Intranti Elysium, Lethæo flumine vecti,
Spectantésque procul, submittunt carbasa nigra

Opdamii

Opdamii Manes, Batavûmque ingloria Claſſis.
Deinde amplexantur fuſæ per amæna vireta
Priſcorum fortes Animæ, & comitantur euntem:
Donec, purpureâ circumſtipante Coronâ,
Ultrà tendenti ad cœlum ſedéſque ſupremas
CAROLUS occurrit, duplici Diademate fulgens,
Et dedit amplexus, Divûmque in templa recepit.

T. B. C. C. Soc.

VIderat Oceanus MONCHUM ſtupefactus in undis
Stare Ducem, & toti ponere jura mari:
Nunc mihi Nereium, quantum placet, objice ſceptrum,
Jupiter, atque tui Numina Fratris, ait. utrumque;
Neptunum MONCHO præfers? Dominum aſpice
Illum hominem dices, Hunc magìs eſſe Deum.
Rex ponti infremuit, vultúque horrente procellis,
Hos dedit iratus voce furente ſonos;
Ergò impune Deus noſtris jactatur in undis
MONCHUS, & in Pelagi regnat inultus aquis?
Non ità; quin proprium ſi agnoſcitis, Æquora, Regem;
Undarum Dominum vindicet unda ſuum.
Dixerat: & miſſus Legatus ab Æquore læſi
Vindictam exequitur Numinis ultor Hydrops.

Jo. Powell, A. M. *Coll. Regal. Soc.*

SIc nos attonitos placuit tibi, Juppiter, Anglos
Fulminibus terrere tuis? & demere nobis

Quem dederas olim clypeum? sic solus inesse
Affirmas magnas animis cœlestibus iras?
Aspice quos gemitus, en quæ suspiria fundit
Anglia lugubris, dum nigro squallida vultu
Magnanimi Heröis cineres & flebile funus
Ingemit, infandum lacrymis testata dolorem.
Nam cùm virtutes & fortia brachia MONCHI
Vidimus, & victor multos transegerat annos,
Nos immortalem jam tum speravimus illum.
Sed tamen heu! cessit fatis, fortéque per artus
It Stygius color, & Batavos quæ dextra fugavit
Victa jacet letho: periit qui Marte togâque
Præcipuus, dum vixit, erat, bellóque timendus.
Sed notum non bella magis finita triumphis
Fecerunt terris Phœbo sub utroque locatis,
Quàm quoniam fato profugum bellóque subactum
Restituit CAROLUM, majestatique verendæ
Cessit, & in regnis cum pace locavit avitis.
Quem non ad lacrymas ergò hæc jactura moveret
Seu scopulis Scythiæ natum, seu collibus Hæmi,
